

CHRISTIANUM
PARIS
1641.

DESCODIA
explicatio
Jeremias

8
600





1. Menzgerin f. Arnst. Sacri,
Cezium Belwagerin.
Att. cab. 1691
2. Nihusij f. Parth. / Godonch
and v. Calixtum,
Mayatz 1699.
3. ————— delemopium,
Muz: 1695.
4. Dossnai f. Dan. / Lu,
mentationes, ff.
1581.

3. ~~Warneckij~~ / ~~Compendium~~ / ~~theologiae~~
Halt. 1690

W. J. Sch. 2. N. 1. in Föcher
aus dem Part. Vichius in Föcher
aus Fossari oben aber aus Föcher

Sammlung 2,

4
Be

pag. 114 Nr. 300.

c. libris

Reptas, Wernig. 1811 1. a. con. de Holl.
op. 2, 3;





LAMENTATIONES

I E R E M I A E

PROPHETÆ, LAMEN-

TABILI HOC ET LVGVBRI

tempore pernecessariæ:

COLLATIS OPTIMIS VERSIONI-

bus & adiuncta Paraphrasi, Annotationi-

bus etiam, & locorum præcipuorum

methodica explicatione

illustrata


PER DANIELEM TOSSANVM.



FRANCOFVRTI

Apud Andream Wechelum,

174. M. D. LXXXI.



LEHRBUCH

VON

DR. THEODOR

RECHENKUNDE

FÜR

LEHRER UND

SCHÜLER

VON

THEODOR

RECHENKUNDE

LEHRBUCH

VON

DR. THEODOR

RECHENKUNDE

FÜR

LEHRER UND

SCHÜLER

VON

THEODOR

RECHENKUNDE

FÜR

LEHRER UND

SCHÜLER

VON

THEODOR

RECHENKUNDE

FÜR



ILLVSTRI ET³
GENEROSO D. D. ADOL-
PHO COMITI A NEWENAR,
Mœrs & Lympurg: Domino in Bedbur, Weert,
Alpen, &c. Domino suo omni obser-
uantia reuerenter co-
lendo.



ILLVSTRIS & generose Domi-
ne Comes, quòd Ieremie Pro-
phetae Threnodiam mea quali-
cung³ explicatione illustratam,
in Generositatis tuæ nomine ap-
parere volui; varias habui eius mei instituti-
rationes: Primum enim cum non sit cuiusuis,
prophetarum threnos, vel odas, vel preces
intelligere, sed eorum demum, qui in eundem
velut Spiritum, affectus eosdem, eundemq³ sta-
tum, quo illi tum fuere, transformantur, et tra-
ducuntur: Ita tua Generositas præ multis alijs,
ad Ieremie Lamenta & cum fructu legenda, &
cum propheta usurpanda, composita & idonea,
mihi visa est: non ideo solum, quòd dum totum
Belgium multis iam annis horribili bellorum
tumultu concutitur, ditio vestra, licet Comita-
tus sit Imperij, propter vicinitatē tamen, innu-

A ij

meris molestijs, & perpetuis militū in illis par-
 tibus grassantium manipulis hactenus circum-
 sessa fuit: Verū in primis quod te nobilissima-
 rum illarum vicinarum prouinciarum clades
 funesta, tot amicorum & propinquorum fune-
 ra, tā variij casus, tam dubius & nutans totius
 Belgij status, incredibiliter afficiunt, & ad pia
 seriāq; lamenta proculdubio nō rarō prouocant.
 Quam verō difficile sit ijs quibus res semper
 sunt secunda, & qui procul extra telorum ia-
 ctum sunt positi, vera edere lamenta, & suspi-
 ria, ex eo colligere promptum est, quod pleriq; in
 ipsis etiam, medijsq; arumnis & calamitatibus
 (sicut heu hodie in Gallia & Belgio passim vi-
 demus) stupidi & securi manent, & nec malo-
 rum, quæ ipsos premunt, nec peccatorum sensu
 tanguntur: sed tanquā si in Deum ipsum con-
 tumaciter & audacter lasciuire decreuissent,
 nihil de luxu suo, nihil de fastu remittere vo-
 lunt: aut si quibus fortē calamitatum magni-
 tudo aliquid lamenti extorquet, fremunt illi
 potiūs in Deum, & priuata sua, terrenāq; in-
 commoda tantū deflent. Verissimè autem ab
 Hilario dictum est in illud Matth. 5. Beati lu-
 gentes: Consolationis solatia repromitti non or-
 bitates, aut contumelias, aut damna mœrenti-
 bus,

DEDICATORIA.

5

bus, sed peccata quibus obsordescimus, ex animo lamentantibus, &c. Licet ergo Ieremie tempore luctus essent omnia plena, non frustrata tamen in illa captiuitate, rectam lamentandi rationem suis popularibus præscripsit Ieremias, quia non cuiusuis est scire & unde lugendum, & quomodo lugendum sit. Tanta etiam optimi prophetae fuit pietas, ut cum ei bene esse vellet Nabuchadnezar, socius tamen et particeps tum miseriarum tum luctus populi sui esse voluerit, donec à sceleratis ingratisq; Iudæis in Aegyptum tractus, ibi sub Aprye tyranno, ut nonnulli volunt, ærumnosissimam vitam finiuit. Altera causa quæ me impulit, Generose D. Comes, ut has tuæ Generositati Lamentationes offerrem, est recordatio illius temporis, quo tuam Generositatem sub initium anni 77. Heidelbergæ, et affabilia de varijs rebus colloquia mecum habuisse, et sanctissimæ memoriæ principis Electoris FRIDERICI Tertij Palatini, nostri seculi Iosia, cui illustris lectissimaq; soror tua Domina Amelia coniugio copulata erat, obitum nobiscum luxisse memini: cuius obitum quàm multæ, quàm graues & variæ calamitates in Belgio, Gallia, & alibi consecuta sint, conspicius est, quàm ut commemoratione longa opus

Ierem. 40.

Ierem. 43.

A iij

*habeat. Sed ita dat mundus iustas suæ ingrati-
tudinis, & non agniti, non celebrati diuini be-
neficij et fauoris pœnas, ut clarissimus vir Dn.
Beza eleganti & erudito hoc Hexasticho cùm
optimi Principis memoriæ parentaret, admo-
nuit.*

*Quicum prisca fides, pietasque antiqua rena-
scens*

Surgebat, tumulo nunc FRIDERICE iaces.

Fallor ego, an potius, pietasq; fidesq; cadentem

Æthereas sursum traxit ad vsque domos.

Viue igitur fœlix, cœli nouus incola Princeps;

Quo non digna satis Principe terra fuit.

*Tertia accedit ratio, quæ me non prius con-
quiescere sinit, quàm publico aliquo scripta
T. G. honorificentissimè appellarem, hæc nimi-
rum: quòd postquam laudabili consilio, de no-
ua, & illustri schola, in vrbe tua Mærß aperi-
enda & constituenda cogitationes suscepisti,
frequentibus literis ad me clementer datis con-
siliu illud tuum communicasti, & ex his locis
fidum industriu[m]que Rectorem, qui illi scholæ
præesset, suppediari tibi voluisti. vnde factum,
ut ex nostro iudicio, & consilio, literatissimum
& commendabili pietate ac modestia præditu[m]
virum, M. Ioannem Piscatorem Argentinen-
sem ascueris, qui & antè Heidelbergæ cum lau-
de de-*

de docuerat, & nobiscum hinc per aliquot annos honestissime vixit. Est illud certe consilium & opus, cum Heroe, tum in primis familia tua, in qua ad miraculum usque eruditus, & toto orbe clarus præter alios nuper fuit Hermannus ille Comes de Newenar, siue, ut aliqui eum vocarunt, de noua Aquila, qui tibi tanquam legitimo heredi Mærsem Comitatum reliquit, ut quod ille quidem & sæpe proposuerat, & tentauerat de schola instituenda, tu pro tua animi magnitudine, summoq; zelo, quo longè illum decessorem tuum superas, quiq; cum vera veræ & incorruptæ religionis cognitione, & professione cõiunctus est, non aggredereris solum, sed etiam perficeres. Qua in re quidem eo maiorem laudem mereris, quo maiores sese offerunt tibi difficultates, maioraq; obstacula, quæ vel fortissimos quosq; facile ab incepto deterrere potuissent, & tuum fortasse consilium abruptissent, nisi Generosa & pia mens tua diuinæ providentiæ & præsentia suffulta testimonijs, & promissionibus, viriliter ageret. & firma fide omnia terricula superaret. Verissimum est enim illud quod apud Gratianum distinct. 38. Can. 8. citatur: Sicut stellas cæli non extinguit nox; sic mentes fidelium & inherentes firma-

mento scripturarum non obscurat mundana
 iniquitas. Has ego tuas laudes, tibiq; proprias
 nō potui quin publicè prædicarē, ut tuo exem-
 plo complures alij ad huiusmodi præclaros co-
 natus alliciantur. Teritur, heu, omne nostrum
 eum bello, vastantur Respublicæ, Ecclesiæ,
 scholæ, excuiuntur studia de manibus iuuen-
 tutis: Quid ergo, deletis iam passim Ecclesia-
 rum & Rerumpub. seminarijs, & furialibus
 bellis undiq; exardescantibus, præter summam
 barbariem, et horrendum chaos expectandum
 erat, nisi Deus insignes aliquot Heroes, nutri-
 tios Ecclesiarum & scholarum excitasset, ut in-
 ter alios, Illustrissimum Principē & Dominum
 meū clementissimum, Ducem IOAN. CASIMI-
 RUM, Palatinum Rheni, &c. cuius in scholis
 aperiendis et recolligendis exemplum cum tua
 Generositate alij etiam nonnulli Heroes imitan-
 tur: inclyti nimirum Solmenses & Valdeccen-
 ses Comites: & imitabuntur proculdubio plu-
 res, ne tenera & florida iuventus præda fiat An-
 tichristi, & ex pontificiorum scholis, cum lacte
 artium et disciplinarum, venenum idololatriæ
 tetræq; superstitionis haurire cogatur. Et est
 certè ille verus & antiquus Monasteriorum et
 Collegiorum vsus, non ut telluris inutilia pon-
 dera

dera aqualiculo seruiant, sed ut sint *σεμνεία* Eusebij hist
καὶ ἀσκητήρια iuuentutis, quæ omni pietate li- lib. 2. cap. 17
 terisq; imbuta, tum Ecclesiæ tum Reip. bonam
 operam nauare possit: unde factum est, ut ma-
 iores nostri pio studio talia collegia locupleta-
 rent, ne videlicet discentibus & docentibus ne-
 cessarij sumtus unquam deessent. Ideo scelere
 se magno obstringunt & grauem illi Deo ra-
 tionem reddere cogentur, qui nullam Ecclesiæ,
 nullam Reip. rationem ducentes, bona Ecclesiæ
 vsibus destinata, ad luxum, & priuata com-
 moda conuertunt, & vel culinas, vel stabula
 sua, potius quàm scholas, aut Ecclesias instruunt,
 et ornant. Caterùm falsa est illa opinio, quæ per
 multorū animos peruasit, quò quis sit eruditior
 eò esse deteriore, & bonas literas omniū con-
 trouersiarū et dissidiorū, quæ hodie irrepserunt
 in Ecclesiam, esse matres & progenitrices. Sed
 ubi hanc quæso malorum causam in scripturis
 expressam illi inuenient? ita ut appareat, merā
 esse fallaciam cause non cause, vel, ut vulgo lo-
 quuntur, accidentis. Imo quū fit Belgiū magna
 ex parte hætenus à tot sectis vexatum, & tam
 monstrosis opinionibus refertū & distractum
 fuisse, nisi quòd dum vera & methodica argu-
 mentandi, et scripturæ tractanda ratio, à mul-

tis neglecta est. facile fuit Anabaptistis homini-
 b⁹ nulla recta doctrina excultis, et in nulla certa
 propositione unquam manentibus, varijs verborum
 ambagib. et prestigijs caelestem obscurare doctri-
 nam, et incautorum animos circumuenire. Deinde quos
 non videt, non doctos proprie, aut saltem verè erudi-
 tos, sed rabulas, sed sophistas et inani vel loquen-
 tia vel scientiae nomine turgidos veteratores no-
 strio tempore tristes has tragœdias mouere? Inflat
 nulla demum scientia, quae $\delta\acute{o}\xi\alpha$ est potius, quam $\epsilon\pi\iota-$
 $\sigma\tau\eta\mu\eta$, et quae $\chi\alpha\rho\iota\tau\epsilon\rho\nu\sigma\iota\kappa\acute{o}\varsigma$, $\gamma\nu\omega\sigma\tau\iota\omega$ vocat D.
 Paulus 1. Cor. 8. quae scilicet à charitate veraque
 fide, quae per charitatem operari solet, est seiuncta.
 Ideo in omnib. scholis rectè constitutis, prima
 hac cura esse debet, ut inuium vel potius caput et
 basis verae sapientiae et scientiae, Dei reuerentia, in-
 uentuti inculcetur, et ut illa in omnib. Cateche-
 seos Christianae partib. probè instituatur. Qua
 in re scio T. G. sedulo allaboraturam, et idem factu-
 rum, nobilitate, et verae Religionis cognitione insi-
 gnem virum Dn. Theodoricum ab Eil, primarium tuum
 legatum, & consiliarium, cum praesertim nacti sitis
 preceptores scholae, omnis pietatis studiosissimos,
 et in Religionis doctrina exercitatissimos: Do-
 minus autem Deus pro sua clementia dabit et incremen-
 tum & successum: modo illum serijs gemitibus in hac
 mundi

mūdi senectū inuocemus ut nostri misereatur, et reliquias à iquot, aliquot et Sareptas et hospitia Ecclesie sibi seruet, nec patiatur regnū suum in Belgio, Gallia, et ipsa Germania prorsus deleri, et Imperium illud nobilissimū Romanū à Romano Antichristo deformari. Memorabile est quod apud Tertullianū in Apologetico cap. 32. legitur his verbis: Est et alia maior necessitas nobis orādi pro imperatorib. etiā pro omni statu Imperij, rebusq; Romanis, quod vim maximā uniuerso orbi imminētē ipsamq; clausulam seculi acerbitates horrēdas cōminantem, Romanū Imperij cōmeatu, siue duratione scimus retardari, &c. Etsi autē in manu Dei solius sunt Imperia, illiq; soli Imperiorū fines cogniti, cum tamen impleta sint magna ex parte signa vltimi aduentus, à Christo predicta, et nutei vndiq; horribili commotione mundus nostrū est expergesieri, pijsq; lamētis pias admiscere et ardentis preces exemplo Ieremie nostri: cuius Threnos T. G. offero paraphrasi, & breuibus notis pro mea tenuitate illustratos, ut grauissimis his & vltimis temporibus rectam lamentabilia hæc tempora lamentandi normam habeant pij omnes, & sit publicum meæ erga T. G. cui omnia secunda & leta à Domino nostro IESV CHRISTO precor,

12 EPISTOLA DEDICATORIA.
obseruantia pignus. Neustadij Palatinorum.
Pridie Calend. Iulij: Anno 81. quo die ante an-
nos 78. natus est magnus ille Heros, Ecclesie &
scholæ Witebergensis τροφεὺς Ioannes Fride-
ricus Dux Saxonie Elector: cui scholæ, propter
incomparabile illud decus Philippum Melan-
chthonem, multū debent, quicunq; nostro tem-
pore per Germaniam & etiam alibi vel in lite-
ris, vel in Religione, aliquid veræ lucis consecu-
ti sunt; ita illi viro curæ semper fuit, ut doctri-
nam sanam, à sophismatibus & corruptelis ad-
uersariorum vindicatam, ad certam & perspi-
euam methodum reuocaret.

T. G.

addictiss.

Daniel Tossanus.

23

IN LAMENTATIONES
IEREMIÆ, PROEMIVM.



In singulis libris, Proœmijs se vti solitum testatur Cicero : quia nimirum utile est in librorum quasi vestibulo aliquid apparere, quod lectores alliciat, & de argumento, scopo & vsu libri summam commo-
nefaciat.

De Autore, vnde non postrema librorū commendatio peti solet, multa hoc loco dicere non attinet, cū nec integrum Prophetam explicandum sumserimus, nec vlli Christiano sit obscurum, Ieremiam, insignem Dei seruum, & Prophetam fuisse: vereq; sicut eius nomen Hebræis sonat, Jirmeiah, Exaltatorem Dei: Ita totus in Dei laudibus & iudicijs extollendis occupatur: vir profectò eximius, ex gente sacerdotali ortus, ex ijs nimirum sacerdotibus, qui in Anathot, in tribu Benjamin sedem fixerant, & à summo sacerdote Abiathar, quem eò relegarat Salomon, Notatio
nominis.
1. Reg. 2.
originem trahebant.

Hic vir, inquam, tam duris vixit temporibus, videlicet illis, quæ Iosifæ mortem ad captiuitatem vsq; Babylonicam consecuta sunt, & annis circiter 40. tam dura multa, & acerba, à suis ipsius popularibus passus est, verbera, carceres, exilia, vt verè *πολύτλας* siue *πολυτλήμων* vocari possit, sicut *Vlysses* suum vocat *Homerus*.

Cæterùm ne in *παρέργοις*, & minùs necessarijs, tempus & orationem consumamus, operæ precium me facturum arbitror, vt has lamentationes cum fructu legamus, si aliquid in limine pulcherrimæ Threnodiæ dixerò:

- I. De titulo libri:
- II. De argumento & occasione huius scriptiæ:
- III. De methodo, & ordine:
- IIII. De usu totius libelli, quàm latè pateat, & cur vel his temporibus studiosissimè legendæ & expendendæ sint Ieremiæ Lamentationes.

De titulo igitur, siue Inscriptione Lamentationum hoc obseruādum venit, Libellum hunc, quem Hebræi à Prophetia Ieremiæ distinguere, & inter Hagiographa plerunq; post libros Moïsi, cum Cantico Canticorū, Ruth, Ecclesiaste & libro Esther collocare solent, ab ipsis non aliter vocari, præsertim in textu Biblico, quàm *ECHA*: quæ prima est dictio, quæ non sine mysterio, vt volunt Hebræi, ter occurrit in initio capitum: videlicet initio capituli primi Lamentationum, secundi item, & quarti: quam ternam vocabuli *Echa*, id est, *quomodo*, repetitionem, alij ad mysterium Trinitatis, alij ad perfectam summamq; desolationem indicandam, vsurpatam esse putant. Hebræi autem in suis Commentarijs, vel cùm argumentum libri exprimere volunt, Libellum hunc vocant *CINOTH*, id est Lamentationes. *CEN* enim apud Hebræos significat, lamentari voce, scilicet lamentabili: vnde *CINAH*, lamentum:

tum:

tum: vt Amos 8. Vertam cantica vestra in lamentum. Græci θρήνους, vel θρηνωδίαν vocarunt: Lutherus satis commodè, *Kl. glieder*.

Nam etsi in hoc libello, & consolationes, & preces, præsertim in capite quinto, sparsim inueniuntur, rectè tamen à scopo & parte sua principali, Liber Threnorum aut Lamentationum appellatus est. Cæterùm quia titulus ille Græcis nimis generalis videbatur, septuaginta interpretes præfixerunt huic libello, sequentem ἑπιγραφήν, quæ esset argumenti loco: *Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias Propheta flens, & planxit Lamentatione hac super Ierusalem, & amaro animo suspirans & eiulans dixit, &c.* Verùm hæc non extant in Hebraico textu.

De argumento & occasione huius libelli.

VANA est proculdubio eorum coniectura, inter quos est Rabi Schelomo, qui putant, hunc librum eum esse, cuius Ieremiæ capite 36. fit mentio, quem ex Ieremiæ ore exceptum, populo prælegit Baruch, quemque postea Rex Ioachim scalpro librario concisum cremari iussit. Nam ibi disertè dicitur, librum illum non Lamenta, sed Dei contra Israelem & Iudam minas, & eas ipsas cōciones ἐλεγχοὶς, quas antea Ieremias habuerat, & quas denuò exscribēs Baruch exhoruisse legitur cap. 45. complexū esse.

Neque illi Rabinorum sententiæ hoc patrocina-
 tur, quod capite Lamentationum tertio ex-
 clamat Propheta: Ego vir ille sum afflictionem
 expertus, per baculum excandescentiæ eius, &c.
 quo quidem loco non tam de populi calamitate,
 quàm de suis priuatis malis, vinculis, & custodia
 conqueri videtur. At familiare est Prophetis, vt
 huiusmodi prosopopœiis vtantur, & populi to-
 tius personam induant: idq̄, vt auditores magis
 afficiantur, & quia charitas proprias sibi facit a-
 liorum afflictiones. Sic tanta fuit Ieremiæ φιλαν-
 θρωπία & mansuetudo, vt licet populus malitia &
 pernicacia sua, pœnas sibi accersuisset, & pro-
 phetam ad pœnitentiam ipsum inuitantem indi-
 gnis modis habuisset: eius tamen miserijs non
 secus ac proprijs afficiatur. Talis fuit D. Cypriani
 συμπαθία, qui de lapsis in hunc modum scribit:
 Cum singulis pectus meum copulo: mœroris
 pondera luctuosa participo: Cum plangentibus
 plango: cum iacentibus iacere me credo: In pro-
 stratis fratribus, & me prostrauit affectus, &c.
 Hæc de Rabinorum sententia, quam exploden-
 dam putamus. Nō desunt porrò magni viri, qui
 putent statim post Iosia tempora, & occasione
 mortis eius scriptam esse hanc Threnodiam. Ni-
 tuntur autem isti duobus potissimùm argumen-
 tis. Primum eo loco qui est 2. Paralipom. cap. 35.
 vbi Iosiam lamentatus dicitur Ieremias. Verùm
 argumētum illud infirmum videtur: quia potuit
 quidem sæpe lamentari Ieremias: sicut ex cap. 7.
 9. 10. 12. 14. 20. prophetiæ eius patet, peccata
 populi,

populi, & impendentes ac præuisas miseras, optimo viro sæpe expressisse lacrymas & lamenta. Verùm aliud est lamentari mortem Iosix, quam & populus totus & cantores & cantatrices tum deflebant, aliud lamentari interitum vr̄bis & populi, & totius diuini cultus euerfionem, quod in his Lamentationibus fieri manifestum est. Alterum argumentum, quod illi adferunt, desumptum est ex cap. 4. Lamentationum, vbi fit mentio vn̄cti Dei capti, de quo dicebant: In vmbra eius viuemus inter gentes, &c. Atqui Iosias non captus sed vulneratus fuit & à suis delatus Ierosolymam, vbi statim animam expirauit. Quòd vn̄cti fit mentio, epithetum scimus regibus Iudæorum commune fuisse. Locum autem illum cum circumstãtijs omnibus ad Sedechiam optimè referri, suo loco ostendemus.

Doctissimi nostri, & recentiores interpretes mediam sententiam secuti videntur: Existimant enim initium quidem, & occasionem tum malorum omnium, tum huius scripti fuisse mortem Iosix: sed simul omnes alias calamitates à Ieremia defleri, quæ vsque ad vr̄bis excidium populo euenerunt: Quemadmodum etiam certum est, post Iosix funus vix aliquam serenitatem in Iudæa apparuisse, & calamitates quasi agmine factò paulatim in populum irruisse: quia vt legimus 2. Paralipom. cap. 34. Ira Dei à Manasse Iosix patre excitata placari nõ poterat, ita nimirum fuit illa verè *χαλεπή μῆνις*. Vide Ier. 15.4.

Ioachz Iosix filius tribus tantùm mensibus re-

gnauit: Rex Ægypti, regem Ioacim constituit: cui successit Iechonias, cuius tempore urbem depopulati sunt Babylonij: quam postea ob Zedeciaë rebellionem iidem funditus deleuerunt. Hæc fuit tristis certè malorum Ilias.

Ego tamen ijs libenter assentior, qui Lamentationes Ieremiaë, non tam vaticinium rei futuræ, quàm querelam de præsentibus, & in oculos incurrentibus miserijs esse arbitrantur: siue eas in carcere scripserit eo ipso tempore cùm illa patrerentur: siue postea cùm apud Godoliam esset in Masphat, Ierem. 40.

Primum enim non quaslibet calamitates, utpote Iosiaë mortem, Ægyptiaca vectigalia, spoliatam urbem, sed tristissimum illud & generale urbis excidium & religionis, cultusq; diuini cum regno prophanationem deplorat: neque id ideo tantùm facit, quòd (vel Plinio teste) Ierosolyma urbium orientis clarissima, & facilè princeps fuit, sed præsertim propter Dei cultum, propter fœdus factum cum patribus, propter promissiones tam illustres illi vrbi & loco factas: quæ tum velut irritæ videbantur: deinde ut se vatem verum fuisse, licet olim iniucundum comprobaret, eos autem falsos fuisse vates, qui Templum Domini, Templū Domini, plenis buccis inclamabant, & illud dirui impossibile esse populo persuadebant.

Huc accedit, quòd totum istud scriptum ita est comparatum, ut non tam prophetiam de re futura, quàm historiam rei gestæ redoleat: ita nimirum expressè, ita patheticè omnia calamitatum
gene-

genera, quæ in illo excidio concurrebant, describuntur & ob oculos ponuntur. Interim, quia sciebat propheta non esse vltimum excidium, & populum aliquando tandem reducem ex longo exilio futurum, interserit passim consolationes & preces. Talibus cōsolationibus & tali spe destituti fuerunt Iudæi in vltimo excidio per Vespasianum & Titum patrato, quia post Christi Seruatoris aduentum planè delenda fuit illa politia, & intergerini parietis septū soluendum, veraque ac noua Ierusalem super veram petram fundata, per totum terrarum orbem instauranda.

De methodo & artificio Lamentationum.

METHODVM & artificium Lamentationum cupienti cognoscere, genus causæ in primis intueendum est & obseruandum. τὸ θρηνητικόν, quo deploramus casum vel personarum, vel rerum, quæ magnæ & illustres fuere, ad genus demonstratiuum pertinet: quo genere, inquit Cicero lib. 3. partitionum oratoriarum, nullum orationis genus est vberius ad dicendum, aut ciuitatibus vtilius. Est quidē nostris Threnis aliquid admixtum de genere deliberatiuo, quia & preces ad Deum continent, & (licet id non tam ex professo, nec tam copiosa oratione, vt alibi prophetæ) pœnitentiam veramque ad Dominum conuersionem suadent. Etsi autem lamentantium propter perturbationem incomposita oratio esse solet: vnde illud fortassis natum: Æger animus semper errat: diligenter tamē in istis Lamentationibus

bus seruat^r à Ieremia decorum: nō illud solum,
quod proprium est prophetarum *ἁγιωγραφῶν*, sed
illud etiam, quod nobilissimi Rhetores in hoc ge-
nere seruandum censent. Monent enim Rhetor-
es, vt in huiusmodi lamentis, longa exordia, lon-
gæ sententiæ vitentur, breues & concisæ vsur-
pentur: quia, inquit Cicero, citò lacryma exa-
rescit, & difficile est auditores aut lectores in illo
affectu summæ commiserationis diu detinere.
Tales sunt Ieremiæ nostri sententiæ, breues qui-
dem, sed grauissimæ, & magnis figurarū lumini-
bus illustratæ. Docent præterea Rhetores mise-
ricordia commoueri auditorum animos, si vari-
am fortunæ commutationem ostendemus: qui-
bus commodis vsi fuerimus, quibus in incōmo-
dis simus: & si nos non tam nostram, quàm alie-
nam miseriam deplorare ostendemus. Id certè, &
quidem artificiosissimè facit Ieremias, ita vt non
frustra Gregorius Nazianzenus affirmet, Thre-
nos Ieremiæ nunquam à se siccis oculis lectos es-
se. Sed quid mirum, cū Ieremias in suis Thre-
nis amplificationes ex ijs omnibus duxerit, quæ
homines maximè commouere solent, vt sunt
teste Cicerone: Charitas erga Deum, patriam:
erga fratres, coniuges, liberos, familias: de-
inde amor honestatis, decori, ordinis: quibus
amissis, inquit Cicero, amplificationes ad com-
miserationem excitandam fieri solent: Nihil est
enim tam miserabile, vt idem ait, quàm ex bea-
tō miser. Licet verò alibi etiam in scripturis pa-
theticæ & artificiosæ Lamentationes inueni-
untur,

untur, sicut est in primis illa Davidis, quæ extat 2. Sam. cap. 1. in qua mortem Regis Saul, & cladem in monte Gilboa à Palestinis acceptam deplorat, simul ostendens suam erga Deum pietatem, amorem erga patriam & placabilitatem summam, dum hostis sui capitalissimi Saulis obitum tenerimo affectu deflebat: Nusquam tamen in tota scriptura, vberiores, ardentiores; Imò ne tam graves quidem & serię lamentationes reperiuntur, atque sunt Ieremiæ nostri. Nullum est enim ex his quinque capitibus, quod non habeat suas amplificationes per hypotyposes valde significantes, & quod non passim pœnitentiam & fidem spiret & suadeat.

Methodus est ferè analytica: caput primum exordiũ habens à profopopœia in genere edisserit quæ habuerit populus præcipua ornamenta: de quo statu & gradu deciderit: quĩnam tum essent hostium triumphis, quæ omnia postea per partes additis causis calamitatũ explicantur. Caput secundum duo illa maximè insignia ornamenta amissa lamentatur: Religionem & Regiam Maiestatem: siue Regnum, cum ijs quæ ad vtrumq; pertinebant, prophetis, munitionibus, arcibus, &c. Capite autẽ tertio, populi personam induens certamina spiritualia, quæ solent afflictis pati, graphicè repræsentat, vnà cum victoria, & exitu felici. Capite quarto admouetur malagmata, ad sedandos dolores: ingenua nimirum peccati & morbi agnitio & confessio, quæ sanitatis est initiũ: & prædictio de interitu hostium prophetica.

Capite tandem quinto eluctans ex illis certaminibus propheta, totum se componit ad orandum, præscribens populo pulcherrimam orationis formulam, quæ & serios gemitus & rursus peccatorum confessionem & ardentem misericordiæ diuinæ implorationem continet. Vbi verissimum esse illud D. Ambrosij in Lucam, deprehendimus, cum de Petro scribit: Lacrymas eius lego, satisfactionem non lego. Sic in his lamentationibus, planctus, querelæ, gemitus leguntur: satisfactionum nulla fit mentio: Sed ad misericordiam Dei gratuitam semper prouocatur. Etsi autem Ieremiæ capite 16. vetat Dominus, ne Propheta domum luctus ingrediatur, nec vadat ad plangendum & condolendum eis, illa tamen partim dicuntur *ὑπερβολικῶς* ad contumaciam & contumaciæ certam pœnā amplificandam: partim iuxta temporis circumstantiam: non esse nimirum quòd putet se suis lamentis cladem determinatam auersurum: sed non iubet ne lamentetur postquam illa euenerit. Deinde in his Lamentationibus dictauit Ieremias reliquijs Ecclesiæ veræ lamentationis formam.

Observandū & illud est, capita quatuor iuxta Alphabeti ordinem esse conscripta: nisi quòd in capite tertio literæ singulæ ferè aliquot versus complectuntur. Idem in aliquot Psalmis animaduertitur: vt Psalm. 111. & alijs. Causam putat esse D. Hieronymus, quòd sint versus, & laborat in metris illis & generibus carminum definiendis: putauit enim esse Sapphica, & citat Origenē & Philo-

Philonem: cùm tamen in præfatione in Esaiam affirmet Prophetas soluta oratione scripsisse. Et Reuchlinus quidem atque Munsterus in vetere Iudæorum poësi recognoscenda multum sudarunt: sed plerique doctiores nostro tempore fatentur nihil certi inueniri de poësi Hebræorum & certis legibus metrorum, etiamsi poëtici accentus agnoscantur: videtur enim Deus dissoluta harmonia politia Iudaica effecisse vt & Musica harmonia, qualis olim fuerat, conticesceret. Ordo ille autem Alphabeticus in Lamentis Ieremiæ partim memoriæ causa, partim ob cōcinnitatem sententiarū usurpatus esse videtur. Placet eorum sententia, qui prophetam ordinem illum seruasse putant, vel, vt tam familiares essent hæ lamentationes populo, quàm Alphabetum: vel vt decurrens per totum Alphabetum significaret multiplices & longas populi calamitates.

De usu Lamentationum Ieremie.

IMPIA est & planè falsa eorum sententia, qui ista de Ierusalem Lamenta, tanquam de rebus obsoletis, nihil nostro tempore utilitatis habere putant. Scimus enim, & quæ scripta sunt, ad nostram utilitatem esse scripta, & quæ veteribus Israelitis acciderunt velut in typo, commonefactiones habere vtilis ad vltima tempora pertinentes, vt monet D. Paulus 1. Corinth. 10. Cæterùm quemadmodum nõ omnium est, ita gaudere, vt gaudendum est (Beatus enim populus, inquit Dauid Psalm 89. qui rectam nouit iubi-

*discrimen
amentorū
delium &
fidelium.*

landirationem, & vnde iubilare debeat) sic non est cuiuslibet lamentari, & ita lamētari, vt lamentatio non sit inanis, sed fructuosa & Domino accepta. Non minus est inter murmurantium infidelium, & fidelium atque piorum lamenta discrimen, sicut in epistola ad Victorianum docet Augustinus, quā inter amurcam & oleum. Lamentati sunt quidem ethnici sepe, ita vt nonnunquam Virgilio teste, recta ipla lamentis & gemitu fremere viderentur; alij obitum amicorum, alij excidia nobilium ciuitatum, Troiæ, Thebarum, Carthaginis, Romæ, & similia, pathetica
 1. & artificiosa oratione deplorarunt: Sed nec eo-
 2. dem spiritu ducti, quo Ieremias: nec vrbis tam augustę ruinas, atque fuit Ierusalem, habitatio Dei,
 3. & typus Ecclesiæ: nec eo fine & scopo, nempe vt Dei omnipotentis, verbi sui cōtemtum vlciscen-
 4. tis iustissima iudicia, humiliati sub eius potenti manu agnoscerent: nec eo temperamento, eaque moderatione, qua Ieremias, cui in lugubribus lamentis fides semper prælucebat, quæ ad optimam spem, & ad diuinæ misericordiæ gustum & sensum, inuocationemque nominis eius, fideles etiam in tristi luctu reuocare solet.

Quòd si quis nobis obijciat violentum illum dolorem, quo abreptus Ieremias, cap. 20. diei qua natus, & in lucem hanc editus fuerat, maledicit; respōdere possemus cum Hilario, in Psalm. 119. illum non propriæ natiuitati suæ, cū sciret se ab utero sanctificatum, & ad munus propheticum segregatum esse, sed prolongationi suæ vitæ durissimæ,

rissimæ, illique horribili suorum temporum malitiæ maledixisse. Verùm vt maximè demus eum tunc humani aliquid passum, & cum tentatione grauissima luctatum, apparet tamen non ab ea absorptum fuisse, sed fœliciter eluctatum, & vcl in his suis Threnis eum seruare modum, vt nec populo afflicto in miserijs sit grauis, nec in Deum contumeliosus, sed sua lamenta ardenti & pia oratione concludat.

Quod verò Ieremiæ capite nono lamentatrices siue præficas vocare iubetur populus, quæ lugubribus carminibus & cantionibus lacrymas ciere possint; inanibus & muliebribus lamentis non patrocinator: de quibus rectè Horatius,

Vos quibus est virtus, muliebrem tollite luctum:

Sed mordaci ironia id à propheta dicitur, vt durities et stupiditas populi exaggeretur, qui nullis Dei minis, prophetarum cohortationibus nullis afficiebatur, & ideo dignus erat, qui ad huiusmodi vanissimas mulierculas ablegaretur.

Verus quidem est dictum: Conqueri fortunam aduersam, non lamentari decet; Si de inertibus, molli, & muliebri illo luctu intelligamus. Sed rursus faceffere Stoicorum opinio debet, omnes affectus, quos non temere communis conditor indulfit, nobis eripientiū: Tempora sunt certè & gaudij & luctus: sunt et vtriusq; regulæ & metæ certæ: & in vtroque summū illud est, vt ex animo sincero & fideli tum gaudium, tum luctus proficiscatur. Placet igitur adprimè illa Platonis sententia, quam Aristoteles lib. 2. Ethicorum cap. 3. citat: Homines ab adolescentia ita debere esse

institutos, vt norint χαίρειν, καὶ λυπεῖσθαι οἷς δεῖ. Errant enim, inquit Aristoteles, qui virtutes putant esse simpliciter ἀπαθείας, καὶ ἡρεμίας, nisi addant ὡς δεῖ, καὶ ὡς οὐ δεῖ, καὶ ὅτε, &c. vacuitas profectò, doloris in hoc mundo esse non potest: in quo peccatum, quod verè est τὸ λυπηρὸν, viget, & subinde pœnas accersit, quas sentiri & ad eas nos cohorrescere vult Deus. Ideo grauitè cum præfractis hominibus exostulat Esaiæ cap. 22. quòd ad fletum & ad planctum vocati omnibus sese voluptatibus securi immergerent.

- I. Primus itaq; Lamentationum Ieremiæ vsus hic est, quòd & rectè lamentari. & de veris lamentationum occasionibus & causis nos docent, ne ita affecti simus, vt pueruli, qui vt eleganter scribit Chrysostomus, timent non timenda, & ea quæ formidare debebant, non formidant: à laruis & vmbri sibi metuunt, ab igne autè & cultro non cauent.

πόρισμα. Sic multi hodie facultatum terrenarum & caducarum, valetudinis, gratiarum aulicarum iacturam lamentantur, & vix consolationem admittunt. Quàm pauci autem, Ecclesiarum & scholarum nobilissimarum naufragia & ruinas, cultus diuini prophanationem, peccata & iniquitates suas, cum cruciatu deplorant?

- II. Docent & Lamentationes nostræ verissimum esse illud Euripidis: νοσῆσιν χώρας, νοσεῖ καὶ τὰ τῶν Θεῶν. Pacem publicam turbat Zedecias, studiosus rerum nouarum: non stat pactis: Regionem inuadunt Babylonij: Regionis ergo perturbationem

nem

nem sequitur religionis & cultus diuini subuersio. Nam cum regiones & Resp. sint hospitia Ecclesiae, fieri non potest illis laborantibus, quin laboret Ecclesia. Ideo colenda est, quantum fieri potest, pax publica, nec sunt bella non necessaria mouenda.

Erudiunt nos Lamentationes de veris calamitatum causis: de quibus varia semper fuerunt hominum iudicia. Alij enim omnes Rerum publicarum perturbationes sinceriori religioni, & instaurationi cultus diuini ascribunt: alij fortunæ, alij astris & dissolutæ harmoniæ, sicut post Pharsalicam cladem cum Pompeio Magno disputabat Secundus Philosophus. III.
Jerem. 44.

Etsi autem imperia suas velut ætates habent, suaque incrementa & decremента, magno tamē cōsensu testatur scriptura, cum ulata peccata, & in primis securitatem & contumaciam contra Deum prouocare pœnas horribiles, & maturare exitium tum hominum tum imperiorum: id autem omne, sicut Deus iustissimis iudicijs & certissima prouidentia determinauit, ita vt nostri sit officij moderatè & patienter ferre eas pœnas, quas nobis accersuimus ipsi: iuxta illud Poetæ,
Leniter ex merito, quidquid patiare, ferendum est,

Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

Monent nos quoq; Ieremię Lamētationes, patientia Dei nō esse abutendum: testatur enim excidiū Ierosolymę & captiuitas Babylonica, quo maior est Dei μακροθυμία, eo grauioribus pœnis illam, quæ esse putatur, tarditatem compensari. IIII.

v. Ostendunt etiam Lamentationes nostri Prophetæ, quòdnam piorum sit officium, pastorum in primis, & ministrorum Ecclesiæ in publicis calamitatibus, nimirum vt Deum orent pro restitutione Ecclesiæ, & Politicæ. Sic Ioel. 1. Sacerdotes & seniores alijs præire iubentur. Nec deterrere nos debet hominum ingratitude, vel patriæ deformitas. Irasci enim, inquit ille, nefas patriæ: multo magis Ecclesiæ. Patriæ quippe & Ecclesiæ deformitas, vt parentum, ad commiserationem non ad contemptum vocare nos debet. Ita Psalm. 102. Serui Dei ipsis Sionis cineribus, puluere, & lapidibus dirutis affici dicuntur.

vi. Testantur calamitates populi Iudaici, ex rerum euentu & successibus externis, de Religione non esse iudicandum. Neque enim sequitur deteriorem fuisse Iudeorum religionem, quòd deterior esset conditio eorū quàm Babyloniorum, quia alia peccata sæpe in nobis punit Deus, & iudicia eius à domo ipsius incipiunt, & impiorum tandem miserrimus erit exitus, idololatrarū imprimis, & hostium Ecclesiæ, sicut de Babylonijs, sæpè testantur Prophetæ, & omnium temporum experientia docuit.

Pet. 4.

sa. 14. et 33.

vii. Denique docet nos lamentationum Ieremiæ conclusio, non esse inhærendum titulis externis, & externæ speciei: quia vel ex lapidibus potest Deus sibi filios Abrahamæ, id est Ecclesiam excitare: sed in solo Deo fidendum, qui lacrymas suorum tandem absterget, & in medijs tenebris lucem semper aliquam eis ostendit, ne animis deficiant,

saia 25.

ciant, sed fide uiuant, Ecclesiamque credant con- *Habac. 2.*
 tra ipsas inferorum portas conseruatum iri, & af- *Matth. 16*
 fore tempus, quo commutatis rerum vicibus,
 malis malè: bonis autem & fidelibus optimè e-
 rit. Ergo tum verissimè, tum dulcissimè à Domi-
 no & Seruatore nostro Iesu Christo dictum est
 Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi conso-
 lationem accipient. Ne igitur nos luctus & la-
 mentorum tædeat: cùm præsertim vltima hæc
 nutantis, & senio fatiscentis mundi tempora v-
 berrimam lamentis materiem pijs omnibus sup-
 peditent: vix enim, proh dolor, ex priore illa ca-
 ptiuitate Babylonica, quæ fuit sub Papatu, libe-
 rata Ecclesia in nouam relabitur captiuitatem:
 Ecclesiam vexantibus miserè Pseudotheologis,
 qui alienæ fidei, alienis cōscientijs, alienis Eccle-
 sijs dominari impotenter student. Sed dabit
 Deus his quoq; malis & huic captiuitati finem.
 Et hæc quidem de titulo, argumento, methodo
 & vsu Lamentationum dicta sunt.

*Argumentum capitis primi Lamenta-
 tionum.*

CAPVT *primum*, exordio Rhetorico carens,
 quod in lamentis nec necessarium, nec opportunum
 fuit, varios habet, ut in perturbationibus, & angori-
 bus summis fieri solet, affectus. Incipit ab exclama-
 tione, quam Græci *συνεπιφώνησις* vocant: & introduci-
 tur aliquis cum admiratione exclamans, & ferè ob-
 stupescens ad Ierosolymitanæ cladis conspectum. De-
 inde sequuntur hypotyposes valde patheticae, quibus

iam luctum viarum, iam solitudinem urbis, iam hostium crudelitatem ob oculos ponit. His annectitur tanquam συγχώρησις, qua Deo irato cedit Propheta, versu 18. *Iustus es Domine*: postea etiam δέησις vel obtestatio, versu 20. Denique ἔχρησμός, querela cum indignatione in hostes, versu 16. 17. 21.

Partes capituli sunt quatuor praecipuae: Prima septem prioribus versibus comprehensa, est pathetica querela per συναθροισμὸν, siue congeriem, in genere describens calamitatem urbis Ierusalem, ἔτι Iudaea, et amissionem omnium ornamentorum, quae habuerat ille populus, de quibus in specie sequentibus capitibus agit Propheta. Deplorat ergo amissa decora, ἔτι lamentabiliter queritur de infelicitate quae felici illi statui successerat. Ornamenta fuere: Civitas illustris, felix, populosa: socij, foedera, sacerdotes, cultus divinus, Reges, Principes, arces, ἔτι c. His successerant solitudo, vastitas, desertio, luctus, funera.

Alter pars capituli est confessio peccatorum, versu 8. ἔτι 9. Sunt enim Ieremiae planctus, non desperationis, sed poenitentiae documenta.

Tertia pars à versu 9. ad 18. doctrinam habet de vi ἔτι effectis terribilibus irae divinae.

Quarta pars, Dei iustitiam commendat: ἔτι veluti frenum inseritur, ne cōtemplatio irae Dei in murmurationem, aut desperationem quenquam adducat. Pars illa ultima capituli clauditur brevi, sed seria oratione, pro Ecclesiae liberatione contra hostium ferociam.

Habe.

Habemus igitur in istis Threnis egregium typum eius tristitia, quae est secundum Deum, quae nimirum, ut docet D. Paulus 2. Corin. cap. 7. μετανοίαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. Hæc est, ἡ κατ' Θεὸν λύπη.

CAPVT I.

Versio,
ex Hebræo collatis
optimis interpreti-
bus.

Paraphrasis.

I. Quomodo sedet sola ciuitas illa populosissima: facta est velut vidua, amplissima inter Gentes: princeps inter prouincias, tributaria reddita est?

Heu rem miseram, & miserarum rerum vices: Illam ne ciuitatem nuperrimè hominum & rerum omnium copia præ alijs Gentibus florentem, in squalore & solitudine vidua instar, iacere? Pendere ne tributum, quæ tot regibus, tot prouincijs domitis olim imperauit?

ALEPH.

Prima pars capituli: Quærela & amplificatio calamitatis.

II. Vberimè plorat noctu, lacrymis maxillas rigantibus, neque est ex omnibus amicis eius, qui eam soletur: Imò omnes amici eius hostes effecti, perfidè agunt in eam.

Itane illi nihil superesse, præter lacrymas die nocteque per ora fluentes? nec ullum ex amicis & socijs apparere, qui verbis saltem amicis dolentem soletur: Imò iam aduersos, iam perfidos, iam inimicos esse omnes?

BETH.

III. Migravit Iuda præ afflictione, & graui seruitute, neque tamè requiè inter Gentes, inter quas habitat, inuenit: qui eam persequuntur, inter angustias illam facile comprehendunt.

Hancine & Iudaici quidem populi sortem esse, ut nec domi præ miserijs & dura seruitute consistere, nec foris inter Gentes propter insidias hostium & angustias quietem inuenire queat?

GHIMEL.

DALETH. IIIII. Viæ Sionis lugent, quòd non sint qui veniant ad solennitatem: omnes portæ eius desolatæ sunt: Sacerdotes eius gemunt: virgines eius mœrent: ipsi autem amara sunt omnia.

En vt via ipsa Sionis, populû ad festas solennitates turmatim confluentis frequentia quondam lata, nullo nunc eas calcante, horrida conspiciuntur. En proferijs inferias. En vt ciuitatum portæ hæctenus confessu iudicum illustres disiectæ sunt. En vt venerandi sacerdotes, teneraq; & laudatæ Virgines luctuosa edunt suspiria: ipsi deniq; Sioni amara omnia euenere.

HE. V. Facti sunt hostes eius in caput, & inimici eius feliciter habent: quia Iehoua dolore affecit eam propter multitudinẽ iniquitatũ eius: paruuli ipsius abacti sunt captiui corã hoste.

Superiores euaserunt eius hostes & secunda sunt omnia aduersarijs: quia nimirum armipotens ipse Iehoua diu cumulata peccata &lciscens, eam affligit. Ah, triste spectaculum: paruuli ipsi captiui, tanquam pecora coram hoste abiguntur.

VAV. VI. Migravit è filia Sionis vniuersus decor eius: principes eius velut cerui sunt, qui pascua nõ inueniunt, abeuntes absque vilo vigore ante faciem persequentis.

Omnis Sionis maiestas fugit, tennes ceu fumus in auras: Nam & principes instar pavidorũ ceruorum quorum robur deficientibus pascuis depascitur fames, imbelles abeunt ante abactores.

ZAIIN. VII. Recordata est Ierusalẽ diebus afflictionis & deiectionis suæ, omnium rerũ suarũ desiderabiliũ, quæ à priscis diebus adfuerat: cadente populo suo hostili manu, nec ferente quoquã auxilium: Imò aspicientibus eam hostibus, & sabbata eius ridẽtibus.

Iam tandem infelix Ierusalem, amissas recordatur opes; veteremque mundum, & lautam suam supellectilem, in rerum omnium inopia & abiectione summa desyderat: sed frustra, heu, hostica cadẽt manu populo vniuerso, nullo ferente opem: ridentibus omnibus aduersarijs tristia proh dolor nunc sabbata, tristes has cessationes.

OBSER-

OBSERVATIONES IN PRIMAM partem capitis I.

ECHA, *Quomodo*: ex hac voce diximus ab Hebraeis denominari Threnos Ieremiae. Dicitio illa cum he paragogico vix alibi occurrit: plerumque enim legitur ECH. Illud *Quomodo* in singulis membris versus primi, & ut eruditi quidam interpretes putant, initio quatuor versuum primorum, subaudi debet. Magnum pathos habet illa admiratio cum exclamatione ex abrupto: Et potest commodè referri ad id quod Dominus praedixerat Ieremiae 19. Ponam ciuitatē hanc in stuporē, & in sibilū: omnis qui pręterierit per eam, obstupescet, et sibilabit supervniuersa plaga eius.

IASCHAB, *Sedet*] Verbum istud in scripturis nunc in bonam, nunc in malam partem accipitur: in bonam, nimirū pro quiete: vt, 1. Reg. 4. Sub Salomone sedebat vel habitabat quisquis confidenter sub vite sua, & sub ficu sua, &c. Hic in malā partem, pro luctu & squalore accipitur à Ieremia: Comparat enim Iudæos, quos synecdochicè, vel metonymicè iam per Sion, iam per Ierusalem intelligit, mulieri, & quidem viduę derelictę, & in summo luctu constitutę.

Viduam Hebræi apto vocabulo *Almanah*, quasi silentem, siue tacitam vocāt, à verbo *Alam*, quod silere significat. Viduitas illi regioni appositè tribuebatur, quia populo viduata erat, qui regionibus & vrbibus est instar mariti.

C

Tributaria facta est] Hic locus facit ut docti quidam interpretes putent non ultimam solum captiuitatem defferi: (quia tum non tributarius factus, sed in captiuitatem abductus fuit populus) verum etiam superiores calamitates, nimirum quod sub Eliacim, qui Ioacim à Rege Ægypti vocatus est, vectigales Ægyptiorum facti sunt Iudæi. quod posset quidem concedi, modò fixum maneat ultimam illam captiuitatem præcipuè lugeri: quanquam ad illam obiectionem responderi posset, verisimile esse reliquias illas, quæ manserunt sub Gedalia in Iudæa, tempore captiuitatis tributa pependisse Babylonijs.

GIMEL. *Migravit Iuda præ afflictione*] Alij, ut Chaldæus Paraphrast. legunt *propter afflictionem*: idè scilicet migrasse in captiuitatem, quod pupillos & seruos suos populus afflixerit. Sed litera seruilis Mem, meliùs exprimitur per præpositionem *præ*: q. d. sponte diffugiunt pertæsi domesticorum malorum: aliàs enim durum est patriam & dulcia arua relinquere. Non omnes cogebantur à Babylonijs exulare: sed multos in exilium extruserunt miseræ, quas in patria ficcis oculis intueri non poterant.

Inter angustias] q. d. inter angustas macerinas. i. facile & sine difficultate apprehenderunt. Sic apud Obadiam legimus Idumæos populum Dei in biuijs & anfractibus viarum obseruasse & oppressisse.

DALETH.

Via Sionis lugent] Prosopopœia: tribuitur enim rei inanimi luctus, cum magna emphasi.

Sion metonymicè pro Ecclesia, siue templo, quod fuit typus Ecclesiae.

Facti sunt in caput] Phrasis est elegans. sic HE. Deuteronom. 28. In caput ponette, non in caudam, si seruaeris mandata eius, id est, eminebis, eris superior. poni in caudam, est, abiectum & contemptum esse, deprimi.

Deriserunt sabbata eius] Appellatiuè potest VAV. hïc accipi sabbatum pro cessatione decori, dignitatis sacerdotalis & regiae: vel synecdochicè, pro Dei cultu. Sic Iuuenalis & Martialis Iudæos sabbatarios vocant per contemptum, religionem eorum deridentes.

*Loci præcipui primæ partis capituli I. certis
thesibus comprehensi.*

VULT Dominus verè sentiri pœnas quas I. infligit, & nos ijs affici, vt veritas verbi ipsius, non in promissionibus solùm, sed & in minis agnoscat, & sub potenti eius manu humiliemur. Nihil enim Deo magis displicet, quàm ille stupor, quo correpti impij neque agnoscunt percutientem se, nec ad eum reuertuntur. Esaiæ 9. & Ieremiæ 5. Percussisti eos, & non doluerunt.

Hïc tamen tenendum est discrimen inter II. Quomodo & Quousq; fidelium & infidelium. Cùm enim exclamant pij, Quomodo: non est

indignantis impatientia: sed orantis, & Dei iudicia cum admiratione intuentis reuerentia.

III. Ieremias ergo qui calamitates illas saepe praedixerat, non exclamat quasi ignorans causam, quam ipse postea vers. 8. adferet: nec quasi murmurans, cum versu 18. Deum iustum profiteatur: Sed ut his lamentis percellat Iudaeos, & doceat eos magnitudinem irae diuinæ intueri.

IIII. Fit autem plerunque, ut amissa demum bona quaeramus & agnoscamus, praesentia oderimus & contemnamus: ut Ezechielis cap. 33. grauissimè dictum est à Domino: Cùm euenerit quod praedictum est, tunc scient, quòd Propheta inter eos fuerit. Ideo rectè monet Salomon 12. Ecclesiastæ: Recordare creatoris tui diebus iuuentutis tuae, tantisper dum non adueniunt dies mali, dum sol nondum obtenebrescit.

V. Interim malè iudicabant Gentes de Iudæis, quòd ideo gens essent seruituti nata, quòd tum Aegyptiis, tum Babyloniis, tum Romanis seruiuerunt. Id enim non factum est nisi per accidens. Fuit quippe coram Deo populus ille magnus, fuit gloriosus, & saepe, dùm affulsit Dei fauor, princeps multarum provinciarum, multorum Regum domitor, & dominus.

VI. Sed rursus aberrabant Iudæi, qui foederis immemores, pactis non stabant, & externis rebus externaque gloria acquiescentes, securitati sese tradebant, ut Sophoniae 2. cum eis exostulat Dominus: Hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo, Ego sum, & extra

& extrane non est alia amplius, &c.

Merito ergo tandem deleta est illa Politia Mo-^{VII.}
 sis & Resp. 1. quia Iudæi non agnouerunt tem-
 pus visitationis suæ. 2. quia Christi regnum non
 est politicum. 3. vt prærogatiua Iudæorum tol-
 leretur, & vnus populus coalesceret ex Iudæis &
 Gentibus.

Neque tamen fallax est Dominus, qui Psalm. ^{VIII.}
 132. requiem suam in Sion perpetuò futuram
 promiserat, & Psalm. 46. Dominus in medio
 eius non commouebitur: 1, quia illæ promissio-
 nes conditionem habebant obedientiæ: 2, quia
 vsque ad finem mundi sedem habebit in Eccle-
 sia, cuius typus fuit Sion, & cum ipsa erit Domi-
 nus.

Quod queritur Propheta tributariam factam ^{IX.}
 Ierusalem, non patrocinator Anabaptistis, qui pu-
 tant nouam Ierusalem, id est, Ecclesiam non de-
 bere esse vectigalem, & principibus pendere tri-^{Tributa.}
 buta. Respicit enim Propheta primam illam
 conditionem populi Iudaici, quæ talis erat initio,
 vt soli Deo tributum soluerent, nempe dimidium ^{Exod. 30.}
 siclum Ecclesiasticum pro redemptione, id est flo-
 reni quartam partem, deinde excusso Domini
 iugo per curiositatē & diffidentiam Reges appe-^{I. Reg. 8.}
 tiuerunt, & varijs peccatis Dei iram prouocan-
 tes, non solùm Regum domesticorum sed & bar-
 barorū iugum induere coacti sunt. Euangelium
 autem non tollit politias: Et Christus ipse soluit
 tributum, vt legimus Matth. 17. & id vult ma-
 gistratibus pendi D. Paulus Rom. 13.

x. Ut Deo seruire, regnare est: sic illo derelicto & irato omnes benedictiones à nobis recedunt, libertas, gloria, multitudo populi, quæ non minima est benedictio, vt Salomon testatur Proverb. 14. In multitudine populi decor regis, & cum non fuerit populus, contritio dominatoris adueniet, vnde ciuitas à ciuium multitudine dicta est, inquit Aristoteles lib. 3. Politic. Sic nisi Deum propitium habeamus, nihil socij, nihil amici iuant: à quibus se proditum lamentatur populus Iudaicus. Pulcherrima est apud D. Augustinum hac de re sententia, in Psalm. 146. Nescio qua infirmitate fit, vt in tribulationibus positi desperemus de Deo, præsumamus de homine: si quis dicat, adest homo magnus qui vult tibi succurrere, gaudemus, erigimur: si quis dicat, Deus te liberabit, frigemus, &c. Ideo iustissimo nimirum Dei iudicio fit, vt amicorum & sociorum perfidiam sæpe experiamur.

*Multitudo
populi.*

x i. Varij sunt calamitatum gradus, quas deplorat Ieremias: inter eas autem nihil grauius, vt David ipse testatur Psalm. 42. & 84. quàm abesse à sacris solennitatibus, & subuersionem diuini cultus aspicere: sunt enim sacri cœtus longè alij quàm vel Olympicæ vel Pythiæ celebritates, in quibus in Iouis aut Apollinis honorem ludi exhibebantur. Nulla enim gens fuit vnquam tam inclyta vt Dei populus, & quæ tam certa, tam plena, tam iucunda habuerit diuinæ præsentia, & clementia testimonia, vt legimus Deuteronom. cap. 4. Cum autem ad priuationem talium consolatio-

num

Sacri cœtus.

num accedunt sarcasmi aduersariorum, is de- *Sarcasmi*
 mum est cumulus doloris & acerbitatis summæ: *hostium.*
 quia tales sarcasmi cum Dei contumelia, & pro-
 bro Ecclesiæ, coniuncti sunt.

Magni igitur à pijs omnibus, sacri ritus à Deo ^{XII.}
 instituti sacriq̃ue conuentus, quibus ad Dei co- *Ritus.*
 gnitionem promouemur, & nostra fides confir-
 matur, faciendi sunt. Etsi enim sine ritibus &
 symbolis Ecclesiam sibi Deus colligere posset,
 sapientissimo tamen consilio vsurpantur à Deo
 talia media, quæ & nostræ naturæ sunt coueni-
 entissima, & per quæ vult esse efficax. Quâquam
 autem in veteri Testamento plures fuerunt ritus:
 nostri tamen, postquam Sol iustitiæ illuxit, vt
 pauciores sunt, & simpliciores; sic significantio-
 res, & faciliores.

ALTERA PARS CAPITIS I.

Confessio peccatorum.

Versio.

Paraphrasis.

VIII. Peccatū perpe-
 trauit Ierusalem: ideo
 reiectanea facta est: om-
 nes qui honore affe-
 cerunt eam, vilipendunt
 ipsam, quia viderūt nu-
 ditatem eius: vnde illa
 gemens auersa est re-
 trorsum.

Sed quid inanes profunt que- CHETIA
rimonia: aut in quæ ille iactan-
da sunt, nisi in grandia sepiusq̃
repetita peccata, quæ hæc ludi-
bria, hoc dedecus ipsi concilia-
runt? quale est mulieris, quæ tur-
pitudine sua in propatulo posita,
auersa gemit, prætereuntium
cultum non sustinens.

THETH.

Immunditiæ eius in
lacinijs eius : non me-
mor fuit nouissimi sui :
mirabiliter ergo descen-
dit, nec est qui console-
tuream. Respice Do-
mine afflictionem me-
am, quoniam extulit se
hostis.

Totam, se heu, sceleribus coim-
quinauit, finis inmemor, impru-
densq; futuri. Incredibile ergo
audisti, quã sit depressa, & quã
his 22. annis à morte Iosia illius
celeberrimi regis deformata sit,
quã omni orba solamine. Ast
tu Domine, qui parcere subiectis
soles, & debellare superbos; respi-
ce afflictam, vindica oppressam
ab hoste feroci.

OBSERVATIONES IN ALTERAM partem.

Peccatum peccauit] Hebraismus est : gra-
uiter & diu peccauit. Aliàs non est homo qui
nō peccet. 1. Reg. 8. Sed cūm continuantur pec-
cata & abutuntur homines Dei patientia, fit vt
prorumpat in pœnam. Sic Exod. 32. Peccato ma-
gno peccasse dicitur populus, cūm excitauit vitu-
lum aureum. Videtur Propheta per ἡνωφωρὰν siue
subiectionem respondere ad superiores interro-
gationes & exclamationes, *Quomodo sedet*, &c.
q. d. causa in promptu est : Peccatum nimirum
atrox, &c.

Reiectanea facta est] vel, in commotionem,
Hebr. LENIDAH. infrà etiam occurrit hæc dictio
versu 17. Ibi vertit Hieronymus polluta men-
struis : alij vertunt, in commotionem sc. capitis,
id est, in derisionem : alij, instabilis & vaga facta
est sicut Cain. sed quia postea fit mentio immun-
ditiarum, & dictio illa Leuitici 12. cūm agitur de
sepa-

separatis ob immunditiam, vsurpatur à Mose, placet Lutheri & nostrorum recentium interpretum sententia, qui vertunt, in separationem instar mulieris immundæ. Extra castra remouebantur tanquam fœdi & reiectanei, immundi, Numer. 19.

Loci secundæ partis.

Sensus miseriarum nostrarum debet nos deducere ad agnitionem peccati, vt cohibeamus nos & modestè atq; humiliter erga Deum geramus, non vt obganniamus, & sæuum aut ferum vocemus, sicut Virgil. Iouem suum Æneid. 2.

Peccata non sunt extenuanda, sed ingenuè factenda, quibus nihil fœdius, nihil tetrius coram oculis Dei inueniri potest. Ideo immunditijs & fordibus pollutæ mulieris comparantur. Rectè ergo Salomon Prouerb. 28. Qui tegit scelera sua, nunquam prosperè aget: qui verò confitetur & derelinquit, misericordiam consequetur, &c. & venustissimè loquitur D. Augustin. in Psalm. 32. Non operui Domine, sed aperui peccata mea vt operires, non celauit vt tegeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit: cum homo celat, Deus nudat: cum homo agnoscit, Deus ignoscit.

Pœnitentia & fides indiuidui comites esse debent, vt ex sensu peccatorum prostrati ad certam fiduciam & inuocationem erigamur, quod proprium est fidelium. Petimus autem à Deo more nostro & per *ἀνδρωποπαθεῖαν* vt nos respiciat. vide-

re autem eius est succurrere, aspectus enim Dei non est ociosus, sed efficax.

PARS TERTIA CAPITIS, DE
vi & terribilibus effectis iræ
diuinæ.

Versio.

Paraphrasis.

IOB. X. Manum suam extendit hostis ad omnia desiderabilia eius: ad eoque vidit ipsa Gentes ingredi sanctuarium suum, de quibus sic statuit: Non intrabunt in congregationem tuam.

Nihil heu tam carum, nihil tam preciosum fuit, a quo sacrilegas manus abstinuerit hostis. Quid? quod in ipsa adyta & sacra penetralia templi irruerunt impura & prophana Gentes, quas vetat diuina sanctio sacris admisceri cætibus.

CAPH. XI. Vniuersus populus eius cum gemitu panem quærit, preciosissima quæque pro cibo exponunt; aspice Domine & contemplantur quam sim despecta.

Etiam ab ipsa fame, idque non promiscua solum plebi, sed & lautioribus periculum est, quos cum gemitu videas durum sibi quarere victum, & quia corpus pluris est quam vestitus, preciosissima quæque vili permiscere cibo. Respice igitur Domine & ut maxime tueri me non velles, intrare saltem squalorem meum & silitatem meam.

BAMED. XII. O vos qui hac iter habetis, ad quos istud malum non peruenit, attendite & videte, an sit dolor par dolori meo: quam affecit Iehoua in cerore, die æstus iræ suæ.

Vos porro, o viatores, quos malum illud quidem non tangit, aspiciate tamen obsecro, & considerate an talis sit vobis inquam visa miseria, in quam me grauis ira diuina detrusit æstus.

XIII. E subli-

XIII. E sublimi demisit ignem in ossa mea, qui dominatur illis: Expandit rete pedibus meis, retrò me egit, desolatã reddidit me & tota die mœrentem.

XIIII. Connexũ est in manibus eius iugũ iniquitatũ mearum, quib. contortis & ascendẽtibus super collũ meum, debilitatur robur meũ: tradidit me Dominus in eiusmodi manus, vnde resurgere nequeo.

XV. Conculcauit Dominus oēs robustos meos in medio mei: Indixit aduersus me conuentũ solennẽ ad conterendũ iuuenes meos, vt in torculari calcet Dominus virginem filiam Iuda.

XVI. Propter hæc ego fleo: ex oculo, ex oculo inquã meo defluit aqua: quia procul est à me cõsolator, qui reficiat me: filij mei sunt desolati, quoniã p̄ualuit hostis.

XVII. Quamuis pandat Sion manus suas, nemo consolatur eam: præcepit Iehoua cõtra Iacob vt essent in circuitu eius hostes eius: facta est Ierusalem vt separata ob immunditiam.

Magnus certè ille & exæstiuans MEM. astus: qui è sublimi rapidos & indomitos ossib. meis intulit ignes, ipsos artus, ipsas medullas edentes: meq; tanquam obtenso pedibus meis reti precipitem retrò egit: nunc in continuo mœrore, in vastitate iacentem.

Ah miseram me, qua leui iugo NVN. Domini excusso, peccatis meis, ceu loris durissimis constricta teneor, & misere premor, ac tanquam mancipium graui addicor seruitio, quo vix vnquam exire licebit.

Ecce quã horrendũ incidere SAMECH. in manus Dei viui. Is. n. quã citò, quã facile fortissimos quosq; lectissimos etiam & valentes iuuenes calcant, & quasi solennẽ conuentum contra eos indixisset, simul protriuit, nõ secus ac in torculari geniales calcantur &c.

His de causis soluor in lacry- AAIN. mas ex oculis, ex oculis inquã meis manantes, quia abest in his terris omne solatium, oppressis filiis meis, & hoste p̄ualente.

Tendit Sion quidem manus PR. auxilium & solatium implorãs, sed incassum: ita mandante Iehoua ab hostibus vndique obsidetur, & abominabilis omnibus facta est.

OBSERVATIONES IN TERTIAM
partem capitis primi.

LAMED.

O vos viatores] Apostrophe est ad viatores & transeuntes per illam regionē exteros. Vatablus legit: Non ad vos perueniat illud malum, quasi sit deprecatio. Alij docti & recentes interpretes sic legunt, quasi dicat Ieremias: Non ad Gentes pertinere illam vastationem, nec ad ipsos quidem Babylonios: sed à Deo esse immissam: vt Egesippus quoque scribit, Titum Romanū cū aspiceret cadauera Iudæorum, & miserrimū eorum statum, qui partim fame, partim mutuis vulneribus & cædibus quotidie conficiebantur, constat esse numen, se tantæ cladis autorē non esse; sed diuinam, supernamque agnoscere ultionem, &c. Nos secuti sumus versionem quæ minùs coacta & non longè petita videbatur, & belè cum sequentibus congruit, nempe: Etsi vos malum non tangat, tangat tamen aliqua misericordia; & si hæc quoque non tangit vos, hoc saltem mihi indulgete, vt aspiciatis meam calamitatem, &c.

Obseruandum est in primis in ista parte, quàm varijs & significantibus metaphoris & allegorijs amplificetur & describatur ira diuina: vt sunt allegoria ignis omnia depascentis: Retis expansi: Torcularis: Contorti iugi, &c. Huiusmodi figurata oratio poemati, & quidem tristibus elegijs, & lamentationibus pulchrè conueniebat. Adferunt enim metaphoræ in talibus argumentis
& lu-

& lucem, & emphasin, & denique pondus singulare. Nam quod scribit Aristoteles lib. Topic. 6. cap. 2. πᾶν γὰρ ἀσάφές τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον, metaphoricis locutiones omnes esse obscuras: non simpliciter ita ab eo pronunciat, sed secundum quid: nempe cū agitur de definitionibus, & cū nobis res est cum ijs qui volunt, vt ipse loquitur, συκοφαντεῖν, nos circūuenire, et calumniari possunt aliquid in ambiguis & æquiuocis vocabulis.

Locitertiae partis.

Quotiescunque templi & sanctuarij prophana-
 tionem tam lamētabiliter deplorari videmus,
 vt hīc vers. 10. Psalm. 74, 79, & alibi, memineri-
 mus quā acerba nobis esse debeant Ecclesiæ vi-
 uæ Dei viui desolatio: cū uerso sincero Dei
 cultu, veris & legitimis pastoribus succedūt pro-
 phani mercenarij, & impuri doctores ac pseudo-
 propheta. Deinde ex eo ipso discamus, quā re-
 ligiosè nos ipsos ab omni impuritate & prophana-
 nitate custodire debeamus: Cū sint corpora
 nostra templa Spiritus sancti, id est, Dei immor-
 talis. Quod proculdubio adumbratur per man-
 datum illud Domini Deuteron. 23. cū spado-
 nes, spurios, Ammonitas, Moabitas, cōgregatio-
 nem ingredi vetabat: quo mandato de vera Ec-
 clesiæ integritate, castitate, & puritate admone-
 re nos proculdubio Deus voluit.

Certissimum est illud 1. Samuel. cap. 2. Deum
 honorātes se honore afficere, in honorantes de-

Joseph. lib. II.
ap. 8.
dem lib. 14.
ap. 8.

decorare. Conciliauit enim aliquando Deus tantam maiestatem sacerdotibus & templo, ut Alexander Magnus licet victor, & nihil nisi minas spirans Iaddum summum sacerdotem reueritus sit, & eo conspecto à meditata contumelia abstinuerit. Pompeius autem Magnus, licet sanctuarium ingressus, manus tamen continuerit, cui etiam propter hanc audaciam, quòd sanctuarium ingressus esset, historici testantur omnia ab eo tempore infelicia semper accidisse.

III. Locus præcipuus tertix partis est de ira DEI, de qua sequentes Aphorismi tenendi sunt.

Ira Dei. Ira Dei, ut rectè docet D. Augustin. lib. I. contra aduersarium legis & prophetarum, cap. 20. non habet perturbati animi ardorem, & nihil aliud est, quàm vindicta peccati, vel certum & iustissimum peccati vindicandi decretum: ita ut more nostro loquatur scriptura, cum Deo excandescantiam, furorem, indignationem tribuit.

Cæterùm quia homines ita stupidi sunt, ut ad mentionem iræ diuinæ non satis, ut debent, cohærescant, & afficiantur: varijs epithetis & allegorijs descripta & amplificata nobis à Prophetis proponitur ira Dei: cuius certè magnitudinem nulla quantumlibet grandis aut tragica oratio satis exprimere potest.

Hinc

Hinc fit vt in scripturis Deus ipse ignis consu- *Deuter. 4.*
mens, item excandescere, & ira ardere totus di- *32.*
catur, ne nos putemus luros inultum, si eum *Nahum 1.*
offenderimus, aut ne exiles & tenues qualdam
cogitationes de eius iudicijs concipiamus.

Neque enim ex epithetis tantum, sed etiam
ex effectis terribilibus, iræ suæ magnitudinem
& acerbiter agnosci vult Deus, utpote ex ge-
nerali illo diluuiio, Sodomæ & Gomorrhæ con-
flagratione, captiuitate Babylonica, & alijs illu-
stribus publicis & priuatis suis iudicijs. Quod
verò se tardum ad iram esse pronunciat, Exod.
34. non simpliciter accipi debet, quasi iners
sit & intempestiua eius clementia: sed compa-
ratiuè, quia beneficentia maximè delectatur,
& in ea se præcipuè effert. Vnde Iacobus mi- *Iacob. 2.*
sericordiam scribit gloriari aduersus iudicium,
& in decalogo misericordia Dei zelotypiæ eius
mille modis præponderare prædicatur: aliàs e-
nim nobis omnibus miseris peccatoribus in vni-
uersum pereundum esset, si summo iure nobiscum
Deus ageret.

Iustissima autem Dei ira & vindicta ex eo
est manifesta, quòd teste D. Paulo Roman. 1.
super omnem impietatem reuelatur: sicut & Ie-
remias passim in his Lamentis summæ iustitiæ
laudem Deo tribuit. Interim discrimen est
inter iram quæ effunditur in electos, & in re-
probos: Illi enim erepti sunt ab ira ventura, id
est æterna, 1. Thessal. 1. Reprobi autem vasa

irę dicuntur, & quidem aptata ad interitum, Roman. 9.

Etsi porrò omne peccatum materies est illi igni accendendo idonea, in primis tamen accenditur per idololatriam, defectionem à Deo, & securitatem. Talia fuere peccata Ieroboam filij Nabath, Achabi, Manasses: quibus peccatis affinis est diffidentia, item, cùm Deum tentamus, aut contra illum murmuramus: vt videre est Psalm. 78. & 1. Cor. 10.

Illa omnia cùm concurrunt, & cumulantur, atque diuturnus accedit contemptus admonitionum, & verbi diuini, tum statim apparent terrificæ irę Dei effecta: qui bellis, fame, peste, exilijs, rerum bene constitutarum euersionibus, Heroum morte, & varijs calamitatum generibus mundi pernicitiam & ingratitude punit, vt nimis nostro seculo, heu! experimur & experturi videmur.

PARS QUARTA ET VLTIMA
capitis primi: quę est velut *ἡμεῖς* superioris doctrinæ de ira Dei. nunc enim iustitiam Dei celebrat, & infelicem hostium Ecclesię exitum prædicit.

Versio.

Paraphrasis.

Iustus est Dominus.
quia ori eius rebellauit:
audite quæso omnes
populi & videte dolo-
rem meum, virgines
meę & iuuenes mei ab-

*Absit tamen à me impatien-
tia: impii procul absint in Deum
murmura: cuius agnosco vene-
rorq; iusta iudicia. Cur enim to-
ries sanctissimo per sancta pro-
phetarum ora monenti rebellis*

& con-

ierunt in captiuitatem.

Et contumax fui? Sed vos, o populi, o nimis felices, si vos reddet aliena pericula cautos, ne grauemini tristes has meas querelas audire, & molli vultu dolorem aspicere meum: Infandum certe dolorem: nam virgines ecce florida, ecce lecta iuuentus ex sinu meo in duram rapitur captiuitatem.

Implorauit amicos meos: at illi me fefellerunt: sacerdotes mei & senes mei in ciuitate ipsa exspirarunt, cum cibum sibi quærerent, vt sese reficerent:

Quocumq; circumfero oculos, COPH. omnia plena malis: si veteres amicos & socios inclamo, superba fastidia patior: illis enim amicitia sanctum & venerabile nomen, nunc heu pro vilis sub pedibusq; iacet: Si sacerdotes & senatores meos requiro, nusquam sunt: Iampridem enim illos agrè vitâ tolerâtes, dira fames abstulit.

Aspice Domine quantam in angustia: turbantur ipsa viscera mea: versat se cor in medio mei, quia rebellione summa rebellis fui: foris gladius orbitatem, domi mortem (sc. fames) adfert.

Ah Domine, licet id mea non RESS. mereatur rebellio & impietas: tua tamen has meas tantâ angustias respiciat pietas: respiciat heu liquefacta iam viscera, cor labans & trepidans, cui foris nihil præter orbitatem, domi nihil nisi præsentissima mors proponitur.

Audiunt gementem multi: cõsolatur nemo: omnes hostes audita calamitate mea letati sunt de eo quod fecisti: & tu quidem adduxisti diem, quem indixeras: verun-

Tu solus occurris, in cuius si- SCHIN. nû tristia deponam suspiria: quamulti quidẽ exaudiunt: solatur nemo: imò in gemitu meo latantur & triumphant omnes inimici mei: Et fateor quidem te vultus hoc fecisse: fateor tempora hæc

tamen erunt similes
mihi.

*mea iudicia mature q̄ à Prophe-
tis mihi predicta fuisse. Verum ho-
stes velim meminisse rerū omni-
um esse vicissitudinem, & nō me-
liorem ipsorum fore conditionem.*

TAV. Veniat omnis ma-
litia eorum in conspe-
ctum tuum, & confice
eos sicut confecisti me
propter omnes iniqui-
tates meas: nā copiosi
sunt gemitus mei, &
cor meum languidum
est.

*Nam si hæc patitur tuus popu-
lus, quid illis barbaris & prophe-
tis expectandum est, tunc nimi-
rum cum deletis clementia tua
iniquitatibus meis, illos in ius vo-
cabis. positis in conspectu tuo scele-
ribus eorum? Heus igitur mi Do-
mine, redde illis suas tandem vi-
ces: ede exemplum in eos, quod in
me edidisti: me autem maiore
iam planè contabescentem vita
redde priori.*

OBSERVATIONES IN QUARTAM & vltimam partem capitis .I.

PARS hæc partim est *δειπνή*, partim *αετλιασι-
κή*: habet enim & preces, & querelas cum
indignatione non contra Deum, sed contra ho-
stes. Pulchrè enim à Cicerone dictum est lib. 2.
de natura Deorum. Mala & impia consuetudo
est contra Deum disputandi, siue ex animo id
fiat, siue simulatè. Ergo abstinet meritò pro-
pheta à talibus indignationibus, submittens se
reuerenter nomine populi, diuinis iudicijs: vi-
detur autem vti præoccupatione. Nam potuis-
set aliquis querere: Ergone Deus iniustus est,
qui tam graues de Iudæis pœnas sumit? Minimè
verò,

verò, inquit: Nobis, nobis confusio faciei, nobis acerbissima quæque debentur: Illi sua semper summæ iustitiæ laus constabit, vt Daniel quoque loquitur cap. 9.

Variæ porrò apostrophæ, quæ hîc occurrunt, repræsentant nobis varios eorum affectus, qui in summis angustijs positi sunt. Diuerso tamen modo petit à Deo, & ab alijs populis, vt miseriam suam intueantur, à Deo vt ab eo qui efficacissimo intuitu nos statim liberare potest, quando nos propitio oculo, in filio suo dilecto Christo intuetur: à populis autem vult aspici calamitatem suam: 1, quia afflictis aliquando lenitur dolor, si cum commiseratione & molli vultu ab alijs respiciantur: 2, quia talia exempla eduntur, vt multi alij populi alieno malo sapere discant. Polybius scribit se astitisse Scipioni spectanti Carthaginis incendium cum lacrymis, & interrogatum quid hi gemitus & hæ lacrymæ sibi vellet, respondisse, se cogitare vicissitudines rerum humanarum, & futurum aliquando simile vrbis Romæ incendium. Piè etiam à Iuuenale dictum est:

————— *mollissima corda*

Humanogenere dare se natura fatetur,

Quæ lacrymas dedit: hæc nostris pars optima sensus

Plorare ergo iubet causam lugentis amici.

Viscera mea,] Hebr. Hamarmaru turbida sunt facta: alij, intumescere: metaphora vel à turbido, & tumido mari, vel à vinis turbidis, quæ inferuescunt & intumescunt. Verbum illud in

textu Hebr. est geminatum formæ actiuæ. Reperitur etiam Iob. 16.

Diem sc. quem vocasti, indixisti] Plerique referunt ad hostes: q. d. adduces diem indictum hostibus: sicut etiam per Esaiam cap. 13. & 14. onus indicitur & prædicitur Babylonijs. Verùm simpliciter & textui Hebræo congruentior videtur lectio, quam secuti sumus. ita enim sonant verba: *Adduxisti diem, vocasti, sub. quem vocasti. Sederunt similes mihi, &c.* Durior esset lectio propter particulam aduersatiuam *sed*, si legeremus, *adduces diem super eos*. Hic non est necesse curiosius de periodis fatalibus regnorum & imperiorum disputare, vt nonnulli de spatio 500. & 250. annorum nimis anxie disputant: taleq; spatium fatale esse imperijs existimant: Tempus enim indictum, est tempus à Deo constitutum, quo diuturniorem verbi contemptum vlcisci solet, in alijs citius, in alijs seriùs, in alijs leniùs, in alijs grauiùs, prout sapientissimæ eius prouidentia videtur.

Veniat omne malum eorum] Sic legit Santes: Nostri interpretes Lutherum secuti, *malitia eorum*, & rectè. Nonnulli: *omnis afflictio qua me affligit*. Hieronymus monet non tam esse imprecationem quàm vaticinium, sed non nouum est à Prophetis imprecationes vsurpari, sed tales quales non carnis affectus sed spiritus propheticus dictat: & in hunc ipsum finem, in quem respicimus, cum oramus, vt adueniat regnum Domini.

Veholel] vulgò legitur, & *vindemia*: nostri recentes

centes interpretes, *Confice eos*: verbū vtrumq; significat. Vatablo placet etiā talis sensus, fac eis vt mihi: tracta eos vt me. Ab illa radice dicuntur *hobelim*, pueri, vel per antiphrasin, quòd nihil possint adhuc agere per ætatem: vel quòd incipient aliquid agere & conari.

Loci vltimæ partis.

Iustus es Domine, &c. Proprium est filiorum I. Dei in calamitatibus, de Dei iudicijs reuerenter & modestè loqui, & sub potenti eius manu humiliari, quia sciunt iustissimas eum habere, licet nō nunquam occultas, iudiciorum suorum causas. De impijs autem & prophanis dicitur Ose. 7. Non clamauerunt ad Dominū in cordibus suis, sed vlularunt in cubilibus suis propter frumentum & mustum, & recesserunt à me, &c. vbi ostenditur impios, 1. ad Deum non conuerti, sed obstrepere ei: 2. non ob peccata lugere, sed ob mustum amissum, & alias terrenas commoditates.

In nostris autem etiam grauissimis ærumnis, I L. vt de Deo religiosè semper loquendum est: sic vitia & peccata insectari & detestari licet: sicut Propheta his verbis docet, rebellari Dei, &c. & hæc est illa ἐκδικησις, siue vindicta, veræ pœnitentiæ effectum, de quo D. Paulus 2. Corinth. cap. 7. v. 11.

Hic porrò in verbis Ieremiæ obseruandum III. est, ipsi Deo & sacro eius ori rebelles esse illos qui Prophetis & Ministris in nomine eius lo-

quentibus sunt rebelles, sicut Matth. 10. dicitur: Qui recipit vos, me recipit, &c.

III. Etsi grauiissimum est, impios nobis in calamitatibus insultare & ἄπληροκακίῃ, mitigantur tamen facilè huiusmodi dolores: 1, si ad primam causam recurramus, & Deum sanctè & iustè omnia facere & gubernare cogitemus, eos secures quidem esse quibus ad nos ferendos Deus vtatur, sed quæ tamen gloriari aduersus secantem non debeant, vt monet Dominus Esaiæ 10. capite: 2. Solatur & sustinet pios recordatio exitus impiorum, quibus suæ quoque & durissimæ quidem pœnæ impendent: vt memorabile dictum extat Psalm. 75. Nolite in sublime attollere cornu vestrum: nolite collo præfracto loqui. Deus siquidem iudex est, is hunc deijcit, illum extollit: Calix in manu Domini est rubens vino, attamen feces eius exugent & epotabunt omnes impij in terra, &c.

CAPVT II. LAMENTATIONVM.

Argumentum & οἰκονομία capitis.

PROPHETICORVM scriptorum δεινότητα ἔστι ἐνέπρητα consideranti mihi saepe venit in mentem ineptia eorum, qui artificium in sacrosanctis his oraculis desiderāt: ἔστι quam rectè talibus respondeat D. Ambrosius lib. 8. epistolarum, scribens ad Iustum: Demus eos, inquit, secundum artem non scripsisse: At certè secundum gratiam scripsisse fatendum est, qua omnem artem longè superat, &c. Nec dubium est quin summi artifices multa ex Prophetis mutuati sint.

sint. Hec ideo dico, quia Threni isti, siue, ut eos D. Buntingerus vocat pia ista & sacra Elegia singulis capitibus magnum τὸ πλεονεξ incrementū habent: & vel hoc caput secundum tam pathetica oratione constat, tam elegant. & cōuenientib. metaphoris redundat, tam appositas habet apostrophas & μεταβάσεις, ut nihil apud prophanos legatur, quod cū his sit conferendum.

Caput secundum, sicut & primum, a dictione illa ECHA, quomodo, incipit, & versus habet iuxta ordinē Alphabeti distributos: Partes verò duas precipuas. Prior versibus 12. primis absoluitur: & hac quidem ex abrupto, & per admirationem, quem admodum caput primum, in initio n. faciens ex perge facit animos Iudaici populi ad sensum, & considerationē horrendae calamitatis, qua non minus tunc horribilis erat, quam si quis sidera, mundumq; cadentem spectasset. Illam cladem hoc capite accuratius & magis flebiliter, quam superiori capite describit, ordine analytico procedens. Primum enim in genere facit mentionē decoris & ornatus amissi: qui ornatus fuit conspicuus in templo & gubernatione Ecclesiastica, & in regno & Repub. Respublica, inquit Plato in libris de legibus, diuinum quoddam hospitium sunt legum & honestorum studiorum: ut non immeritò angantur pia mētes, cūm Resp. turbari aut collabi vident. Postea ad species & partes omnes minutiores progreditur Ieremias: ad palatia, munitiones, ferias, sabbatha, sacerdotes, muros, portas, leges, prophetas, senes, virgines, infantes, & quidem lactentes. Ex his omnibus enim conficiuntur & constant Respublica, & cūm liberationem & instaurationem promittit Dominus

Zach. 8. pollicetur fore, ut senes & anus in plateis
cōspiciantur, cum pueris & puellis ludentibus, &c.

Alter pars capituli a versu nimirum 12. usque
ad finem, est apostrophe Prophetæ ad populum, quæ
est generis deliberativi, & habet ἀνακλιθῆναι siue con-
sultationem cum populo: quidnam in summa illa
miseria faciendum sit. Primum explicatur ἀνα-
κλιθῆναι, id est refutando, quid non faciendum sit:
nimirum non fidendum vaniloquis quibusdam Pro-
phetis iram Dei extenuantibus: nec rursus curan-
das hostium feroces minas, sed ad Deum cum lacry-
mis contritoq; corde confugiendum, qui prædictas af-
flictiones immutat ut populum ad pœnitentiam re-
uocet. Ergo cum sit adhuc locus veniæ, & cor contri-
tum ac humiliatum Deus non respuat, breuem sup-
plicationis formulam, qua caput clauditur, eis præ-
scribit.

Sicut igitur naufragi tempestatum sauitia iacta-
ti, allidētes scopulis, cum in tabulam aliquam quam
Græci πῶμα nov appellat, incidunt, mordicus eam te-
nent, & ea nituntur, ut enatare possint: sic pij in affli-
ctionibus ad diuinam misericordiam tanquam ad
ancoram sacram confugere, & ea se sustentare so-
lent.

Versio capituli II.

Paraphrasis.

ALEPH. I. QVOMODO obnubi-
lam reddidit in furore
suo Dominus filiam
Sionis: deiecit e cœlo in
terram decus Israelis: ita
ut non recordetur sca-

HEV cladem stupendam, &
nullis lacrymis, nullis suspirijs sa-
tis deploratam. Ecce enim quàm
densa, quàm atra caligine ira-
tus Iehoua inclytum populum, il-
lustremq; olim Sionem obducit:
belli

belli pedum suorum die
iræ suæ?

2. Absorpsit Dominus,
nulla adhibita clemen-
tia, omnia habitacula Ia-
cob: destruxit in excan-
descencia sua munitio-
nes filiae Iuda, deturbās
in terram: profanauit
regnum eius & princi-
pes eius.

3. Confregit ardensi-
ra, totum cornu Israelis,
reducēs dextram suam
à facie inimici, ut velut
ignis exardescat in Ia-
cob, & vndique ambi-
ens eum consumat.

4. Tetendit arcū suum
velut inimicus, & dexte-
ram suam ceu hostis li-
beravit, ut interimat o-
mnes desiderabiles ocu-
lo: in ipso tentorio filiae
Sionis effundit, ut ignē
indignationem suam.

5. Factus est Dominus
velut inimicus: absorpsit
Israellem: absorpsit o-

quam ad cælum penè ipsum eue-
xerat, ab quomodo detractā de-
pressit: quomodo Israellem ex al-
tissimo dignitatis gradu in sum-
mam precipitavit ignominiam,
nec sacrata Deo domus, sacrique
pedum scamnirationem habuit?

Na ille omnes irarum effudit
habenas: nullis enim Iacobsta-
rum casis, nullis pepercit arcu-
bus: nihil tam splendidum, tam
augustum fuit, quod non sit pro-
fanum protriuerit, regnū ipsius
heu cum principibus.

BETH.

Fuit illorum certè quondā ro-
bur in Sion non minus conspicuū
quàm elata & ramosa cernorum
cornua. Sed iam heu concidit o-
mne decus, robur omne Israelis,
grassante ira Dei, qui & ltriceri-
gidaq; dextra ab hoste deducta,
totam eam cōtra Iacob explicuit,
totum vndiq; ignis instar depo-
pulans. Heu meras pro solito fa-
uore fauillas.

GIMEL.

Na ille infestas contra me con-
torsit sagittas: & velut hostis
dexteram suam comparavit ad
eos perimendos qui oculis meis
carissimi & gratissimi erant:
magnos denique & rapidos in
Sionis tentoria effudit æstus ira-
rum.

DALETH.

O me miseram, cui non cum
hominibus solum inimicis, sed
cum ipso Iehoua hostiliter se ge-

HE.

omnia palatia eius, diruit omnes munitiones eius, multiplicavit fira iuda mœstitiam & luctum.

*rēte & omnia protinus absorbentes est. Hinc disiecta graui ruina palatia : hinc munitio-
rum ruina, & noua quotidie saui monumenta doloris.*

VAV. 6. Transtulit velut horti tugurium tentorium suum : demolitus est congregatio-
nem tuam : obuia-
tur Iehoua in Sion lo-
lentatis, & sabbath : spreu-
ta ira furoris sui Regem, & Sacerdotem.

*Tam citò, tam facile conuen-
tus sacros sacrasq; stationes dissi-
pauit, ac si frondes tantum fuisset
casula : non illi iam solennia
festa, non sabbatha nostra sunt
cura, qui regnum ipsum, & sacer-
dotium, duo nostra summa deco-
ra in nihilum rediguit.*

AIN. 7. Reiecit Dominus altare suum, detestatur sanctuarium suum : tradidit enim in manum inimici muros palatiorum eius : vociferantur illi in domo Iehoua, vt in die solenni.

*milia lege
alm. 74.*

Ecce enim vt iacet religiosissimum eius altare : eo, nostras aras, sanctuarium ipsum detestante. Muros palatiorum & basilicarum perusos hostibus fecit, quos iam proh dolor in media Iehoua domo, non eius sacras laudes, sed furiales audias ore proteruo iactare voces.

HTH. 8. Proposuit sibi Iehoua destruere murum filia Sion : retendit regulam, non reduxit manum suam à vastando, vt iam lugeat propugnaculum, & murus desolatus.

Certo & deliberato consilio accinctus est Iehoua ad muros Sionis demoliendos, ac si quis architectus amussitata opera regulam suam tenderet, nec manum nisi absoluto opere auocaret : hinc tam lamentabilis, & propugnaculorum & murorum desolatio.

THH. 9. Demersæ sunt in terram portæ eius : perdidit & contriuit ve-

Depressæ & in terram ipsam demersæ sunt portæ eius, ruptis & ctes

Et es eius: Rex eius & Principes eius sunt inter Gentes: nulla lex adest: nullam Prophetæ eius visionem nanciscuntur à Iehoua.

contritis Vextibus, exulante Rege, exulantib. inter Gentes principibus exulāt & leges: frustra q̄ iam à Iehoua auerso oracula petunt Prophetæ.

10. Sedentes humi conticescunt seniores filia Sion: Imponunt puluerem capiti suo: accingunt se saccis: demittunt in terram caput suum virgines Ierusalem.

*Verendi Sionis senatores con- IOD.
sperso puluere capite, & cilicijs amicti, humi sedent muci: caput in terrā demittunt iuueæ Sionis Virgines, quæ nimis olim heu ceruicem exporrigeabant.*

11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei: intumuerūt viscera mea: effunditur in terram iecur meum propter contritionem filia populi mei: dum deficit & extinguatur infans & lactens in plateis vrbis.

*Fessi diriguere præ lacrymis CAPH.
oculi: tument præcordia: aridū mihi & agrum exprimitur expuiturq̄ iecur, ita me angit, & sollicitat funesta populi mei clades, cuius infantes lactentes & à miseris matrum Vberibus pendentes deficiente alimonia per Vrbs compita animam agunt.*

12. Matribus suis dixerunt, vbi est frumentum & vinum: dum deficient instar eorum qui lethaliter faucij sunt in plateis ciuitatis: dum effundit sese anima eorum in sinum matrum eorum.

*Eloqui non possum (nam Vox LAMED.
heu faucibus hæret) quantum me tenerorum infantium lugubres eiulatus sauciarint, cum querula Voce miseræ sic matres compellarent: Vbi nunc alma Ceres, Vbi alia munera terra, quibus solebamus duram depellere famem? Talibus querelis infelices exanimarunt matres, per ora pallentia fame, animam illi ipsi in matrum sinu efflantes: ô sana famis vulnere: ô illam quous gladio immitiorem.*

OBSERVATIONES IN PRIOREM
partem capitis secundi.

Psalm. 84.

Obnubilam reddidit] Elegans metaphora, habens tacitam antithesin luminis amœni vultus Dei, de quo Psalm. 4. (Deus enim propitius, Solis instar nobis esse solet) & tenebrarum, quas irę diuinę horror adfert. Per tenebras scriptura res infastas & inamœnas significat. Nostri recentes interpretes putant hoc loco opponi nubem caliginosam, nubi glorię, quę prius apparuerat Ierosolymis in dedicatione templi, 1. Reg. 8.

Non est recordatus scabelli pedum] Hęc etiam nostro more dicuntur. nã Deus scãno opus nõ habet, utpote essentia spiritualis & infinita. Sed ita partim allegoricè, partim metonymicè templũ vocatur, in quo signa & testimonia fuerunt diuinę presentię. Terra quidẽ vniuersa cõparatiuè & respectu cœli, quod sedes & thronus Dei dicitur, scabellum pedũ Dei vocatur Esaia 66. verũm de tẽplo specialiter sic loquitur scriptura, in quo Deus respõsa dabat, & sic testabatur se velut ambulare in medio illius populi. Apparet autem velex illo epitheto, Deum noluisse animos Iudeorum in terrenum illud & visibile templum esse defixos, quod scabellum duntaxat Dei erat, sed altiũs asurgere & euehi, ut Dominum nimirum in Throno suo quærerent, & ea meditarentur quę sursum sunt.

Profanat, id est, ut profanum abiicit.] Hebraismus. Occurrit talis locutio Psalm. 89. Profanasti, de-

sti, deijciendo in terram coronam eius.

Transtulit velut hortitugurium] Verbum Hebraicum *chamas*, significat aliàs vi abripere: & sic verterunt nostri interpretes. Sed secutus sum Vatablum & Santem, qui verterunt *transtulit*, quia id meliùs conuenit cum illa comparatione tuguriorum hortensium. Idem est ferè quod Psalm. 80. Rupisti sepem eius, vt ex ea decerpas, quicunque transit: & Esa. 5. Rumpam maceriam eius, vt conculcetur. Id durum videbatur Iudæis, qui templum illud æternum esse, & æternas portas habere sibi persuadebant, quod videtur Psalmus quoque 24. docere. At notandum est, promissiones non esse factas propter lapides & structuras externas: sed propter Ecclesiam, quam in æternum conseruabit Deus, etiamsi tabernaculum visibile transferat de loco in locum, sicut reliquit olim Silo: nunc montem Sion. transfertur enim regnum Dei ad Gentem facientem fructum.

Rex eius & principes eius inter Gentes: Non est Lex:] alij legunt, *sunt inter Gentes sine lege*: Chaldaus interpres: *abducti sunt quòd legem non seruarint*. Malui referre ad eam ἀταξίαν, quæ proculdubio Ierosolymis erat & in tota Iudæa, exulantibus ijs qui νομοφύλακες esse solent. Pij enim magistratus legum, diuinarum imprimis, custodes esse debent. Nec postrema fuit Iosia laus, quòd eius tempore lex reperta fuit, cuius volumen, vt Lyranus cum Rabino Salomone narrat, in muro absconditum fuerat temporibus Achaz, & repertum fuit cum à Iosia templum instauraretur.

2. Reg. 22⁶

Sicut autem rectè dicitur à Iurisconsultis parum esse ius in ciuitate esse, nisi sint qui iura reddere possint: Ita parum erat Iudæis legem descriptam habere, cum pij magistratus, sacerdotes & Prophetæ exularent, qui leges interpretari, acuere, & ad earum obseruationem homines compellere solent. Apud Theodoretum lib. 1. cap. 15. historiæ, extat valdè pia epistola Constantini Magni de describendis exemplaribus librorum sacrorum, vt populus erudiri posset: contra sub tyrannis, vt sub Iuliano apostata, sub Turcis, silent diuinæ leges, supprimuntur sacri libri: somnia tantùm obtruduntur populo, vt ad brutam ignorationem & viuendi rationem pecuniam deducatur. Sic inter arma, & vbi diuturniora bella geruntur, silent etiam omnes præclaræ leges, & rectæ constitutiones, vt hodie multis locis videre est: in quibus, vt Lucani verbis vtar, ferri potestas confundit ius omne manu, scelerique nefando nomen esse solet virtus, &c.

Propheta non inueniunt visionem] non quòd tempore captiuitatis nulli fuerint Prophetæ: attigerunt enim illa tempora Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alij: sed quia ad tempus cessarunt illa Dei responsa. oportebat enim populum subigi & ferre suam pœnam: ita vt satis longo interuallo caruerint reuelationibus.

Conticuerunt] sc. præ magno luctu: quasi obstupefacti sunt & extra se fuerunt. Nota est Psammétichi illius regis Ægypti historia, qui Camby-
sire-

si respondit, Domestica mala maiora esse lacry-
mis.

Defecerunt pra lacrymis oculi] Germanicè re-
ctè dici potest: *Ich greine mir die augen aus.*

——— *Non enim semper*

Expletur lacrymis egeriturq; dolor,
vt vulc Ouidius. David de se scribit Psalm. 6. La-
crymis meis stratum meum liquefacio, &c. Illæ
hyperbolæ habent magnum πάθος; præsertim au-
tem hypotyposis illa miserabilis infantium ene-
ctorum fame, qui à matribus aliquid cibi requi-
rebant. Licet copiosas de fame illius temporis
non habeamus historias, non est tamen dubium,
quin res gestas narret propheta. Qualia etiam
narrantur à Iosepho, in ultimæ obsidionis histo-
rialib. 6. cap. 10. & 11. & nostra quoque, ea que
recenti memoria, similia & Harlemij in Holan-
dia, & in primis Sancerræ, anno 73. siue ad Sacrum
Cæsaris, cum à Pontificijs obsidione longa vrbs
cincta esset, accidisse omnibus notum est. Est illa
certè durissima mors: vt non immeritò dictum
sit ab Aristotele, fame mori οὐκ ἔστιν εἶναι.

Lociprioris partis capituli II.

PRÆCIPVA sua decora & ornamenta vocat
populus Iudaicus regnum & sacerdotium: & me-
ritò sanè: quia illa sunt εἰκόνας ἐμψυχοι Θεοῦ, vt Me-
nander loquitur. idcirco Plautus in Rudente de
sacerdotibus scribit: Quis est homo tanta con-
fidentia, qui sacerdotem violare audeat? Inpri-
mis verò eminuit regia & sacerdotalis digni-

tas in populo Dei, quia utriq; , Reges sc. & sacerdotes, repræsentabant Messiam venturum : & quia illa politia à Deo constituta erat, qui Iudæis suas ipse leges dictauerat.

Vt autem summis & præcipuis beneficijs affecti à Deo fuerunt Iudæi, ita iuxta vetus dictum : Excelsis multò faciliùs casus nocuit, & propter ingratitude, & non agnita bona sua, in summam miseriam & ignominiam deiecti sunt: sicut de Capernaum & Bethsaida dicitur, quòd in cœlum velut exaltatæ, ad inferos vsque depressæ sint. Quæ certè exempla plurimùm nos percellere deberent, vt apud nos statuamus, si naturalibus ramis non pepercit Dominus, nos qui præter naturam in veram oleam insiti sumus, similes pœnas, imò grauiores non effugituros, nisi gratioribus animis tempus visitationis nostræ agnoscamus: sicut iam, si mens non læua esset, animaduèrtere deberemus securim ad radicem arboris positam esse, ruentibus & collabentibus hodie florentissimis regnis, collabente sacerdotio, & extinctis plerisque luminibus Ecclesiæ, & Heroibus; succedentibus autem impuris rabulis & mercenarijs in multis locis.

Deus autem dum ita mutat rerum vices, & iam huc, iam illuc transfert tentorium sui verbi, nec inconstantia, nec crudelitatis accusari potest: quia promissiones eius conditionem semper adiunctam habent: in lege, obedientia: in nouo Testamento, fidei in Christum, quam donat ipse electis suis. Immeritò ergo de Deo con-
queri-

querimur, cum nostra perfidia nobis poenas accersamus: ut Lilius ipse in historia grauer de Romanis scribit: Hi postulant ut sacrosancti habeantur, quibus ipsi Dij, neque sacri, neque sancti sunt.

Hieronymus igitur in hunc locum scribens, bene applicat verba Ieremiae ad nostra tempora, cum ait: Videndum est nobis, ne propter iniquitates nostras habitaculum pectoris nostri deserat inhabitator Spiritus sanctus, fiamusque sicut hortus dissipatus, qui à Domino non irrigatur. Dicit enim scriptura: Nescitis quia templum Dei estis. 1. Cor. 6.

Locus de festis, & solennitatibus, notandus *De festis* est contra superstitiosos, qui adhuc Iudaizare volunt, & cuperent multa festa in Ecclesia retineri, quod hominum verè ignauorum est, quibus sunt semper feriae, ut est in prouerbio. Feriae autem Iudaeorum per se nihil erant, nisi quatenus Dei cultus celebrabatur, & sacri conuentus agebantur. Papistarum feriae contra, idololatriae, & gastrolatriae, turpissimoque otio seruiant. Si igitur de ipsis ferijs à Deo institutis extra legitimum usum, pronuntiat Dominus Esaiae 1. Odi solennitates: nauseat anima mea ad vestras neomenias, &c. quid de Papistarum *εθελοθρησκεία* & idolomania statuendum est? Deinde feriae & solennitates Iudaici populi pars fuerunt ceremoniarum legis, & paedagogiae, illarumque umbrarum, quarum corpus, finis, & complementum est Christus, ut Colos. 2. docet Apostolus: ita ut nemo iam pro-

pter dies & sabbatha nos iudicare possit. Et Esai-
as capite ultimo prædicit perpetua sabbatha &
perpetuas solennitates vltimis temporibus futu-
ras: quia perpetuò à malis operibus feriandum,
& perpetuò gaudendum est in Domino nostro
Iesu Christo. Quæ Euseb. lib. 4. cap. 24. de vita
Constantini, scribit à Constantino mandata esse
de obseruatione solennitatum Martyrum: Pri-
mùm conscientias ligare non potest, cùm sit hu-
mana traditio. Deinde alia fuit ratio illarum com-
memorationũ, qua laudabatur fides Martyrum,
vt alij ad martyria patienter ferenda inuitaren-
tur, & idololatricarum feriarum, quibus idolis
& Baccho litatur.

Non agnoscunt hodie Christiani quantum
sit Dei immortalis beneficium: cùm sacras leges,
cùm Dei verbum & sacrosancta oracula habe-
mus, quæ lucerna sunt pedibus nostris, & signa a-
mœna diuini fauoris, quorum amissionem &
priuationem valde deplorat Ieremias, deplorat
& psaltes Psalmo 74.

Erat, erat certè summum hoc in illa clade, quòd
populus erat sine lege & sine Rege, quia in vtro-
que expressam Dei quandam imaginem habe-
mus, & illis remotis *ἀναρχία*, & *ἀταξία* luctuosa con-
sequi solet. Fuit etiam illud reiecti Saul indicium
summum, & extremũ eius malum, quòd ei Deus
nec per Prophetas, nec per Vrim & Tummim re-
spondebat.

A peccatis autem nos vel illud maximè deter-
rere deberet, quòd in ipsos infantes & quidem
lacten-

1. Sam. 28.

lactentes accersunt pœnas. Si ergo nostri curam gerere nollemus, at illorum misereri nos debebat, qui nobiscum miserijs illis publicis inuoluuntur.

Deus quidem peculiari quodam favore infantes complectitur, vt legimus Deuteron. 1. & Matth. 10. & 18. & non est ita crudelis vt inson-tes puniat: sed dum illos calamitatibus publicis inuoluit, punit non tam ipsos, quàm parentes, quos ita cruciat tristi conspectu miserix liberorum. Liberis autem facile consulere potest, vt maledictionis paternæ non sint participes: quam nullus infans coram Deo insons est, nec plus tenetur Deus ijs parcere, quàm nos teneris lupis parcimus. Filij pro patribus non puniuntur in ciuilibus, quia plerunque non consentiunt peccatis patrum: At coram Deo sunt peccatores, & excusari non possunt: ita vt cum puniuntur, non alienorum, sed priorum peccatorum dent pœnas.

ALTERA PARS CAPITIS

secundi.

Versio.

Paraphrasis.

13. Quid testificabor tibi? Quod simile exemplum dabo tibi, ô filia Ierusalem? cui te comparem, vt consolet te, virgo filia Sionis? ma-

NAE tua sors miseranda est, MEM. ô dilecta Ierusalem. Sed quid ego quæso proferam quod miseriam tibi lenire possit? An quod miseris solatio esse solet, similitum exempli calamitatum? At sunt hæc tua tempora Sion sine exem-

MEM. Apostrophe Prophetæ a Sion & Ierusalem.

E ij

gna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tibi?

plo: & tua miseria non simplex est, sed miseriarum pelagus ingens: Quis remedium malo adferet inmedicabili?

MVN. 14. Prophetæ tui viderunt tibi vana & insulsa, nec retexerunt iniquitatem tuam ad auertendum captiuitatem tuam: sed viderunt tibi onera vana, & expulsionem.

An tu Prophetas illos tuos vaniloquos & insulsos consulis? qui non aperuerunt tibi iniquitates tuas: quasi aperuissent, Deus operuisset, & captiuitatem à vobis auertisset: sed dum palpum tibi obtruserunt, ex dulci patria te extruserunt.

SAMECH. 15. Comploserunt manibus super te omnes viatores, sibilauerunt & caput suum mouerunt super filiam Ierusalem dicentes: Hæcine ciuitas illa, quam dicebant perfectam pulchritudine, gaudium vniuersæ terræ?

Viden, quomodo viatores ipsi per regionem tuam iter habentes manibus plausus, ore sibila edant, caput quoque quassent, tuis tantis malis partim læti, partim obstupescentes? Hæcine, inquirunt, illa est ciuitas, perfecta & venustata? hæcine illa quam dicebant esse delicias humani generis?

AAIN. 16. Dilatant contra te os suum omnes inimici tui, sibilant & frendent dentibus suis dicentes, deuorauimus equidem: Hæc est dies quam expectabamus: inuenimus, videmus.

En ut os contra te diducunt inimici tui omnes: en ut sibilis consecretantur & dentibus frendent dicentes: Absorbimus illam tandem penitus: Venit expectata dies: inuenimus, videmus disquisitam opportunitatem.

PE. 17. Fecit Iehoua quæ cogitauerat: impleuit sermonem suum quem mandauerat à diebus antiquis: destruxit, & non pepercit: exhilarauit super te inimicum,

Certè perfecit Iehoua quæ decreuerat, quæq; iam olim edixerat, & prædixerat: dum omnia euertit & nemini parcat moram suam resarcit: exhilarauit ergo de te inimicum, & hostium cornua euexit.

& extu-

& extulit cornu hosti-
um tuorum.

18. Clamavit cor eo-
rum ad Dominum: O
mure filia Sionis de-
scendere fa lacrymas,
velut torrentem, die
& nocte: nec permit-
tas tibi requiem, nec
quiescat pupilla oculi
tui.

19. Surge, vociferare
de nocte, in principio
vigiliarum, effunde sic
ut aquam cor tuum co-
ram facie Domini: le-
ua ad eum manus tuas
pro vita paruulorum
tuorum, qui fame ex-
animantur in compi-
tis omnium platearum.

20. Vide Iehoua, &
aspice, cui nam sic fece-
ris: comederene mu-
lieres fructum suum,
infantes palmares? in-
terficine in sanctuario
Domini, Sacerdotem
& Prophetam?

21. Humi iacent in
plateis, puer & senex:
virgines meae & iuue-
nes mei gladio cecide-
runt: interfecisti in die
furoris tui, iugulasti,
non pepercisti.

*In tantis ergo malis quid agant, TZADE.
quam ut magnos & mæstos & al-
to de corde ad Dominum tollant
clamores? Ergo tu infelix ciuitas
cum toto ambitu in opere profunde die
nocteq; oculis torrentem lacryma-
rum: profunde sine intermissio-
ne, nec unquam oculi pupilla exa-
rescat.*

*Expergiscere inquam, & te non COPH.
somnia sed lamentis totam trade,
ineuntibus singulis noctis & vigilijs:
totam te excute, & cor tuum coram
cordium scrutatore & datim effun-
de, duplices tendens ad eum pal-
mas pro vita, pro capite & salute
tenerrimorum fœtuum, quos in
singulis platearum compitis dura
fames extinguit.*

*Talibus illum fatiga & votis. Ah RES.
Iehoua qui iustis oculis omnia col-
lustras, aspice obsecro, quid tua,
quid sacra patiatur Ierusalem? Oratio populi proponenda
Deo suam
miseriam.*
*Illamne sic, heu, sacrã rabiidamq;
& urgere famem, & dulcia caraq;
pignora, & palmares infantes
suos immites deuorent matres?
interficine, heu, in ipso fano, in
ipso sanctuario sacros Domini sa-
cerdotes, Prophetasq; & verendos?*

*O funestum spectaculum, in SCHIN.
cent in plateis congesta, & cruen-
ta puerorum & senum cadauera:
non castis virginibus, non floren-
tibus iuuenibus pepercit gladius:
ita terribilem accessus furor tuus*

YAV. 22. Vocasti tanquam ad diem solennem pavores meos circumquaque: nec fuit in die iræ Iehouæ, qui euadat superstes: quos educaui & euexi, hostis meus consumsit.

exercuit lanienam.

Omnium &ndiq; formidinum concursus ad me fit, tanquam ad diem festum. Non &lli indomitam datum est euadere iram armipotentis: hostica iacent cōfecti manu, quos magno labore educatos euexeram, quos inquam sperabam columen rerum fore m. a. rum.

OBSERVATIONES IN ALTERAM partem capitis secundi.

HÆC pars habet nouas amplificationes miseriæ, ductas partim à comparatione, quæ nulla inueniri possit: partim à causis calamitatis, & ijs tum propinquis, tum remotis: meminit enim diuini furoris, & simul falsorum prophetarum qui populum seduxerant: deinde etiam hostium & eorum *βῆμα περιεκαίνας*. Ab effectis etiam horrendis amplificatur illa calamitas: qui loci sunt loci rerum. Sed accedunt etiam amplificationes à sexu, ab ætate, quæ ad locos personarum pertinent: cùm virginum, senum, lactentium miserriam conditionem exponit. Præcipuè tamen versatur Propheta in hac parte in deliberatione: quia scopus eius est, vt ostendat à Deo solo tam grauis mali remedium expectandum: Ideo suadet, vt ad illum populus conuertatur. Nam etsi vulnus ipse facit, idem est qui id sanare vult & potest, qui in abyssum miseriarum ducit, & inde reducit: & quemadmodum fiunt prædicta, vt Cyprianus loquitur.

loquitur, sicut etiam promissa: praecessit disciplina *Lib. 4.*
 na, sequetur & venia: Nos tantum sine cessatio- *Epist. 4.*
 ne poscendi & cum fide accipiendi simplices &
 vnanimis dominum deprecemur, cum gemitu
 pariter & fletu, &c. Describit autem verae con-
 uersionis modum à signis primùm externis, fle-
 tu, clamore, leuatione manuum; deinde ab alijs
 proprijs, effusione cordis coram Deo, implora-
 tione ardenti misericordiae eius, &c.

Quid testificabor tibi] Nonnulli sic intelligunt:
 quem contestabor, Deumne an homines? Alij:
 Quid ego moneam? verbū Hebraicū significat
 attestari: sensus est, Quid proferā, quid producā?
 quos testes qui simili viderint, quæ exēpla similis
 calamitatis? incomparabilis est illa clades. Quan-
 quam hæc hyperbolicè dicta videntur; tamen si
 circumstantias omnes examinemus, verissimum
 est nullam extitisse tam grauem calamitatem in-
 ter alias Gentes: quia alij populi non ita sentie-
 bant Dei iram vt populus Iudaicus: & grauiora
 sunt semper vulnera quæ Ecclesia accipit. Ideo
 dicit Ieremias, vide cui fecisti: fecisti tuo populo,
 dilectæ tuæ Ierusalem. Amicorū ira solet semper
 esse grauiissima. Fuit tunc ille populus velut vni-
 ca vinea, vnica columba, vnicus hortus Domini
 Dei exercituum: Et sicut populus non fuit in v-
 niuerso terrarum orbe, cui tam familiariter, tam *Deuter. 4.*
 clemēter se Deus communicasset; sic illius fauo-
 ris, illius dignitatis, & decoris repentina amissio
 omnem acerbicatem superabat.

Virgo filia Sionis] Periphrasis est synecdochica Ierosolymæ, & totius populi Iudaici. Dicitio Hebræa *Bethulah*, significat virginem nubilam, maturam, & florentem. Accipitur autem huiusmodi appellatio in scripturis nonnunquam in bonam partem: aliquando in malam. In bonam: ut hoc loco, & Esaiæ 37. Contemnit te, virgo filia Sionis; post te caput mouet, filia Ierosolymorum. Ibi filia pro populo simpliciter, vel pro Ecclesia casta virginis instar, & quæ à Deo solo pendeat: aliàs fragilis & imbecilla virginis instar. Cæterùm cum Esa. 23. Tyrus quoque virgo filia Sidonis vocatur, videtur id per sarcasum fieri: quasi diceret Dominus: Tu delicatula virgo, & exultans, quæ expugnata hætenus non fuisti.

NUN.

Onera & eiectiones, &c.] Metonymia est ab effectu: quia ex blandis vaniloquorum Prophetarum sermonibus & concionibus hoc consecutum est, quòd peccatorum velut fecibus securè immerfus populus, nec de ira Dei auertenda cogitationem ullam suscepit, nec priùs sapere incepit, quàm ictus & obrutus esset. Lutherus commodè & eleganter sensum illorum verborum expressit, *Sie haben dich zum land hinaus geprediget.* Phrasis illa autem sarcasmo carere non videtur: idem enim est ac si diceret Ieremias: Tibi olim onerosæ fuerunt veridicorum Prophetarum conciones, qui nomine Dei omnipotētis de impendentibus oneribus & calamitatibus te præmonebant: nunc autem experiris, quàm onerosa tibi sint impostorum oracula, qui peccata tua leuigando

uigando & extenuando in has te miseras coniecerunt.

Clamauit cor eorum ad Dominum] Docti non ^{TZADE.} nulli interpretes legunt, *contra Dominum*: & hūc versum ad hostes referunt, & ad eorum blasphemias in Deum, & impias insultationes. Verūm non video cur à recepta aliorum interpretum lectione hoc loco sit discedendum, qui ferè omnes de Iudæis hæc intelligunt: quibus etiam Ieremiæ 14. hoc consilij datur, vt fundant die nocteque lacrymas, propter suam contritionem, & supplices Deo fiant. Phrasis est memorabilis *clamauit cor eorum*, &c. vt non voce solūm, sed & corde clamemus ad Dominum. Præterea sequentes versus pulchrè cum hoc cohærent: quibus ritum & formam contritionis & submissarum precum præscribit: vt nimirum corde clament, lacrymas fundant, manus leuent: sicut D. quoque Paulus 1. Timoth. 2. manus puras leuari vult ad Dominum, rem cum simbolo coniungens. deinde monet Ieremias, vt cor effundant & supplicent reuerenter & demissè Domino Deo. Rectè quippe D. Augustinus, in Psalm. 139. Nemo rectè fugit nisi ad illum, ab eius seueritate, ad bonitatem.

*Locipræcipui secunda partis capituli
secundi.*

V T præcipuum & singulare diuini fauoris signum est, cūm sinceros & fidos Prophetas & ministros ad nos mittit Dominus, vt testatur Psal-

mus 74. sic nihil periculosius, nihil detrimento-
 2. *Pet.* 2. attulisse queritur Ieremias: & D. Petrus rectè vo-
 cat πηγὰς ἀνύδρους, fontes aqua carentes.

Piorum autem, & sincerorum doctorum offi-
 cium non in eo solùm est positum vt sciant διδά-
 σκειν, sed etiam παρακαλεῖν καὶ ἐλέγχειν: vt D. Paulus,
 Tit. 1. docet.

Debet enim sale conspersa esse fidorum Dei
 feruorum doctrina, vt vitia reprehendantur, &
 homines inordinati coherceantur, vt deniq; iræ
 diuinæ occurratur, & tum Deo sua gloria, tum
 populis sua constet incolumitas.

monne de
1.5.

In hanc sententiam rectè scribit Cyprianus:
 Qui peccantem blandimentis adulantibus pal-
 pat, peccandi fomitem subministrat, nec compri-
 mic delicta sed nutrit. At qui consilijs fortioribus
 redarguit simul atq; instruit fratrem, promouet
 ad salutem. Sic oportet Dei sacerdotem nō obse-
 quijs decipientibus fallere, sed remedijs salutari-
 bus prouidere. Imperitus est medicus, qui tumē-
 tes vulnerū sinus manu parcente contrectat, & in
 altis recessibus viscerum, virus inclusum, dum ser-
 uat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secan-
 dum; vociferetur & clamet licet æger impatiens
 per dolorem; gratias agat postmodum, cum sen-
 serit sanitatem. Emergit, fratres, nouum genus
 cladis, sub misericordiæ titulo malum fallens, &
 blanda pernicies, & c.

Sic apud Bernardum pulchra extat Homilia,
 Quòd vir Ecclesiasticus lenis simul & austerus
 esse debeat.

Volunt illi ergo perire, & in certum ruere exitium, qui blandientes, & suavia ac placentia loquentes doctores expetunt, admonitiones autem & increpationes respuunt, vt Ieremiæ 8. legimus: Sanabant contritionem filiaë mei populi leui verbo dicentes: pax, pax, & non erat pax: Idcirco cadent inter corruentes, in tempore quo visitabo eos, dicit Iehouah. & Ose. 4. Nemo contendit, nemo arguit: Corruet igitur hoc tempore, & corruet Propheta tecum, &c.

Esaia 30.

Sape conqueruntur Prophetæ de ludibrijs, sarcasmis & ἄπαιρησις aduersariorum, qui, vt scribit Habakuk, sagenæ suæ sacrificare & reti suo suffire solent, sibi que mirè placent cùm pios oppressos vident; quasi suis consilijs, sua arte, & potentia id effecerint. Sed erit ille risus ipsi tandem Sardonijs risus: nam vt Christus Lucaë 23. dicebat, si in virente ligno ista faciunt, in arido quid fiet? Præterea certum est homines in nos potestatis nihil habere, nisi quantum datum est à supernis: sicut Ieremias perpetuò inculcat Dominũ fecisse, quæ deliberauerat, & statuerat: docens nos quodnam sit ἡ κύριον αἴτιον nostrarum afflictionum: & hostes causas esse instrumentales exequentes iusta Dei decreta.

Cap. I.

In precibus, præsertim extraordinarijs, & ardentibus, rectè adhibentur symbola, & signa externa, quæ partim nostram contritionem testentur, partim nos ipsos excitent ad serias preces, vt lacrymæ, eleuatio manuum, clamor, &c. Symbola ta-

men illa externa per se nihil sunt, ieiunia, vigilia, eleuatio manuum, percussio pectoris, &c. nisi res ipsa, nempe vera contritio, veraque cordis ad Deum eleuatio sit coniuncta: sicut rem cum signo iungit D. Paulus 1. Timoth. 2. cum puras ad Deum manus leuari iubet. Ideo rectè Basiliius in illud Esaiæ cap. 1. Cum leuauerint manus, non exaudiam eos, &c. Non mirum, inquit: quia ij demum manus rectè leuant, qui cœlestia quærunt, & sicut infans ad nutricem in simplicitate leuat manus, ad Deum confugiunt: sed Iudæi manus violentiæ plenas ad Deum leuando, magis eum exacerbabant, vt si quis filium Regis occidisset, & manus illo sanguine cruentas exanderet versus Regem, multò magis ad iram eum commoueret, &c.

*eleuatio ma-
nuum in pre-
bus.*

*phrasia ele-
ns.*

Phrasia autem illa notatu digna est, cum cor da iubet Propheta coram Domino effundi; quod ipsum monet David Psalm. 62. Confidite ei omni tempore, ô populi, effundite coram eo cor vel animû vestrum. Quæ phrasia primùm mone- mur, in precibus deposito omni metu liberè tan- quam in sinum patris licere nobis effundere do- lores omnes & querelas nostras, vt hîc facit Iere- mias. Deinde monet illa phrasia, vt deposita omni hypocriti peccata nostra ingenuè retega- mus, confiteamur, & nos denique coram Deo totos excutiamus: sicut David fecit Psalm. 51. Transgressiones meas agnosco, & peccatum me- um obuersatur mihi iugiter. En veritate delecta- ris, &c. Nihil igitur profecit Iudas, inquit Am- brosius,

*.2. de Pa-
tentia,
p. 5.*

brofius, quòd non coram Deo, sed coram Iudæis cor suum effudit, dicens: Peccaui, tradens sanguinem innocentem. Respōdent enim Iudæi: Quid ad nos? Tu videris. Hunc sermonem laqueus sequitur. Sed coram Deo non frustra cor effunditur: quia ego sum, inquit Dominus Esa. 43. qui deleo iniquitates tuas, &c.

CAPVT TERTIVM.

Argumentum, & dispositio capitis.

CAPVT tertium Lamentationum verè possumus appellare epitafin huius libelli, ita totum est supra modum patheticum, & magnam habet congeriem allegoricarum amplificationum. Etsi enim eandem quam superioribus capitibus populi nimirum Iudaici, Babylonica captiuitatis tempore, calamitatem lamentatur: sunt tamen in hoc capite concitatiores & vehementiores affectus, & tota oratio figurata, & varijs picta allegorijs: ut ostendat Propheta vix genus vllum orationis reperiri posse, quod illi miseria exprimenda & adumbranda par sit.

Mutatur autem in hoc capite persona: non enim amplius in genere loquitur Propheta, nec sub imagine viduæ desolatæ & derelictæ; sed introducit vel seipsam vel quod magis verisimile est, virum aliquem in populi persona, horribiles gemitus edentem. Sicut ex veteribus nonnulli librum Iob, sub ficta persona esse putarunt exemplar viri luctantis cum summis ten

tationibus, & eas tandem superantis: quanquam magis ijs assentior, qui rem gestam eo libro contineri putant. propter circumstantias locorum & personarum quae ibi exprimuntur.

Mutatur etiam in hoc tertio capite series siue ordo versuum: non enim ut supra singuli versus à singulis Alphabeti literis incipiunt, sed singulis Alphabeti literis tres versus subiiciuntur, nisi quod litera P omissa est.

De genere carminis in istis Elegijs, diximus iam supra anxie non disputandum, cum in eo non sit multum momenti, & id curiosè potius quam solidè à Hieronymo & alijs definiatur. Magni illi in lingua Hebraea viri Mercerus & Tremelius, affirmant nihil hodie certi haberi de generib. carminum Hebraicorum, nec ei rei immorati sunt O Ecolampadius, Palladius, Calvinus, & Bulingerus, qui in Lamentationes scripserunt.

Capitis porrò huius tres sunt praecipuae partes. Prima pars versibus viginti primis absoluitur, & vehementi affectu, atq; oratione allegorica summam calamitatem, & simul luctum acerbissimam carnis contra spiritum ad desperationem eum sollicitantis, ac deniq; animi afflicti & perturbati typum, & (ut ita dicam) anatomem continet: qualis etiã luctus Psalm. 73 & Psalm. 77. nobis proponitur. Verissimũ est quippe illud Augustini in Psalm. 60. Vita nostra in hac peregrinatione sine tentatione esse non potest, quia profectus noster per tentationem fit: nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest vincere, nisi certauerit: nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.

Alter a

Alterapars est verè omnivius, & tanquam aureum Palladis frenum, quod indomito Pegaso humanorū & carnalium affectuū & impatientia iniicitur: vsq; ad literam Nun, ad versiculum vsq; 40. in qua parte insignes aliquot γωμα tanquam gemmæ eminent.

Tentationibus enim illis opponit Prophetas tres (ut ita dicam ἀπειδαι, siue tria scuta: 1, collationem pœnarum, cum ijs quæ pro meritis erat populus, ex qua collatione intelligat benignè adhuc secum agi, quòd totus & in totum non perierit: 2, bonitatis diuina constantiam i. maius bonum, quàm sint calamitates illæ temporaneæ: ut D. Paulus 2. Corinth. 4. docet momentaneas oppressiones leues esse præpondere gloriæ nobis promissæ: 3, Dei consilia & finem siue scopum eius in affligēdo opponit Prophetas tentationib. ostendens Domini Dei institutum non esse ut perdat Ecclesiam, cum non delectetur alias hominum interitū, & in media ira misericordiæ sit memor, castigatamq; paternè Ecclesiam rursus erigere soleat.

Tertia pars capituli à versu 40. vsq; ad finem, est de uictoria: Fides enim licet mundū vincat, nunquā tamē est securā, sed Deo tribuit omnē laudem, et quia fideles suæ imbecillitatis sibi cōscij sunt. & varia esse stratagemata, varias methodias diaboli norūt, qui ad tempus sepe recedit, ut Luca 4. capite legimus, fugiensq; denūo pugnat: licet semel vincant, non abiiciunt clypeum, sed perpetuò sunt in excubijs, & indefinenter orant. Vt enim piè scribit Cyprianus: sicut ad impugnandum semper est paratus Satanas, sic ad repugnandum instructos nos esse decet.

Oratio autē siue precatio hæc Ieremie habet suam methodum, & suas partes: 1. præparationē, vers. 41. 2.

agnitionem & deprecationem peccati, versu 42.
3, commemorationem miseria usque ad vers. 58.
4, supplicationem qua petitur liberatio à malis, &
ultio aduersariorum talis, qualem Deus saepe pradi-
xerat.

Certum est autem Prophetam non priuatam a-
gere causam, ut Hebraei nonnulli in carcere ante ca-
Ierem. 20. ptiuitatem eum hac meditatam putant: Sed sicut in
reliquis capitibus, sic hic quoque populi personam in-
duiuit, ut non Iudaeos solum illis temporibus plus satis
stupidos expergefaceret, verum etiam posteris, qui
illarum calamitatum immemores esse potuissent, ex-
pressissimam imaginem eorum relinqueret, quae passi-
erant ob Deum contemptum maiores.

Versio capituli
tertij.

Paraphrasis.

ALEPH. 1. Ego vir ille sum vi-
dens afflictionem in
virga indignationis e-
ius.

EN Vobis Virum Verè infelicem
& arumnosum, in quo exemplum
habetis caelestis irae, irae acriter
certè flagrantis:

2. Me duxit, & indu-
xit in tenebras, non au-
tem in lucem.

Quae mihi caecae offudit tene-
bras, in quibus iaceo omni luce,
omni serenitate destitutus.

3. In me tantum con-
uersus manum suam
vertit toto die.

Vae mihi misero, cui soli Deus
rigidam insecit manum, perpe-
tuo me prementem.

BETH. 4. Tabefacit carnem
meam, & pellem me-
am: confringit ossa
mea.

Ita vt & carnem & cutem mi-
hi attrinuerit & ossa ipsa effrege-
rit.

5. Aedificauit contra
me, & cingit me felle,
& molestia.

Me Vnum heri circumuallat:
me amarissimis cingit Undique
molestijs:

6. In

6. In tenebrosis locis collocat me, vt mortuos iam olim. *Obruit horrentibus atrisq; tenebris, non secus ac eos qui iam olim silentes descenderunt ad umbras.*
7. Circumsepiuit me, vt non euadam: aggrauauit compede meum. *Vndique tenet obsessum, etiam duris crassisq; impactum compedibus.* GIMEL.
8. Etiam cum clamo & vociferor, obstruit orationi meae. *Ne quidem tristes audit ciuilatus, sed aures obstruit, adituq; mihi.*
9. Circumsepsit vias meas exciso lapide: semitas meas inuertit. *Grandia rigidaq; saxa pedibus meis obiacent, qua ingerit ille in me, vt nusquam recte liceat ponere vestigium.*
10. Vrsus insidians factus est mihi, leo in latibulis. *Non tam est asper, nec vesperinus circumgemens vrsus ouile, nec leo in suo latibulo, quam ille est mihi.* DALETH.
11. Vias meas vagas efficit, & discerpit me: reddit me desolatum. *Menamq; vagum & oberrantem discerpit, totumq; conficit.*
12. Arcum suum tendit, & statuit me tanquam scopum sagitte. *Dirigit & tendit in me arcum, non secus ac in scopum, vt lethiferas ex grauida pharetra,*
13. Immittit in renes meos tela pharetrae suae. *In ipsa renum penetrantia impellat sagittas.* HE.
14. Sum risui cum toto populo meo, cantilena istorum toto die. *Quid igitur mirum, me populumq; meum, hostibus ludibrium fieri & fabulam?*
15. Satiat me amaritudinibus; inebriat me absinthio. *O me nimis saturum: o me temulentum: nec tamen temeto, sed arumnis, quouis absinthio amarioribus.*
16. Confregit filicibus dentes meos: operuit me puluere. *Duris filicibus dentes mihi fregit: totum turbido puluere sordidauit.* VAV.
17. Adeo depellit a

pace animam meam,
vt oblitus sim boni.

*tate procul, nil nisi infortunium
cerno, vt me aliquando fortuna-
tum fuisse vix meminerim.*

18. Et dixerim: Perijt
robur meum, & spes
mea à Iehoua:

*Et iam succumbens malis, &
quasi extra me positus, s. sana &
tacita voce dicebam: Nec robur
inuenio, nec quid amplius sperem
à Iehoua: Quid ego me spe lactem
inani?*

ZAIN. 19. Recordando af-
flictionis meę & plan-
ctus mei, ab Iinthij &
fellis.

*Tales mihi Voces expressit af-
flictionis luctusq; recordatio met,
& animi amaritudo.*

20. Recordando in-
quã recordatur, & hu-
miliatur anima mea.

*Hac inquam recolens, varia in
illa deiectione misit abam.*

OBSERVATIONES IN PRIOREM partem capituli tertij.

GENVS huius partis est demonstratiuum.
Querela enim est & descriptio extremæ miseriæ.

Υ' π'ο'θε'σις est: Nihil esse miserius homine aut
populo, quem sibi Deus puniendum proponit,
& suo solatio destituit.

Amplificationes, & ἐπι'ζη'σί'α ducuntur à va-
rijs similitudinibus rerum tristissimarum, duris-
simarum, amarissimarum.

Vsus huius partis est, vt discamus magnifacere
Dei fauorem, præsertim sensum gratiæ eius,
qui nobis omnibus thesauris preciosior esse de-
bet, modò rectè gustemus quàm sit bonus Ieho-
ua, vt monet Dauid Psalm. 34. Leues enim sunt
semper

semper afflictiones, quàm diu remanet sensus gratiæ diuinæ: vt D. Paulo respondet Dominus 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea.

Interim certum est Deum suos etiam velut in infernum nonnunquam ducere, ita vt sibi videantur ad tempus à Deo derelicti. Talis fuit tentatio Dauidi obiecta Psalm. 77. Nunquid in secula repellet me Dominus, nec addet vt bene velit? Nunquid defecit in seculum misericordia eius? Et cogitavi mors mea est, &c. D. Augustinus scribens in Psalm. 91. Putat per Dæmonium meridianum huiusmodi vrentes, & vehementes afflictiones intelligi.

Risui sui cum populo] Sic Tremelius & Iunius, *Vers. 14.* quos secuti sumus. Alij legunt, *Risui sui populo meo*: quæ lectio accedit ad eorum sententiam qui hoc caput in carcere ante captiuitatem scriptum putant. Sed, vt antè diximus, idem tractatur argumentum his capitibus, licet personæ commutentur. Capite primo introducitur populus gemens sub persona viduæ, & illustris fœminæ derelictæ: Hoc loco sub persona viri consternati & tantùm non desperantis præ miseria: quia necesse est priùs sentiri seriò grauitatem iræ diuinæ, vt eo suauior & desiderabilior sit gustus eius misericordiæ. Sic Deus primùm per legis prædicationem voluit homines prostertere, quos postea per Euangelium erigeret.

V. 20.

Humiliatur anima mea] Nostri recentes legunt, *Meditatur. Tassiach*, vel à *siach*, vel à *scachab* deduci potest. bene autem meo iudicio conuenit hoc loco recepta lectio, quòd scilicet recordatio mali humiliarit & deiecerit illum virum, qui hoc capite introducit loquens.

CAPITIS TERTII PARS

secunda.

Versio.

Paraphrasis.

21. Hoc reuoco ad cor meum, ac propterea spero.

Tandem labantem animum his ego cogitationibus, quae spem mihi non dubiam afferunt, erigere cœpi.

CHETH. 22. Misericordiae Iehouæ sunt, quòd non sumus consumti: quia non defecerunt miserationes eius.

Præclare nimirum adhuc nobiscum agit, præcipuaque id, & inexhausta Dei optimi benignitatis & clementia acceptum ferendum, quòd non funditus perijimus.

Epiphonema. 23. Nouæ sunt quolibet mane: magna est fides tua.

Nec enim semper ater durat Vesperus: sed mox redit aurea cum luce, aureum & nouum, o Deus, vultus tui subar: ita sancta, ita perennis est tua fides.

24. Pars mea Iehoua est, inquit anima mea: propterea spero in eo.

Te igitur Iehoua gratissimam, te unicam sortem suam agnoscit anima mea: in te acquiescit uno.

THETH. 25. Bonus est Iehoua expectantibus. ipsum, animæ requirenti ipsum.

Qui bonus es & benignus erga eos qui vera fide imploratum spe firma expectant auxilium.

Paradoxa
Christiana.

26. Bonum est sperare, & silere in salute Iehouæ.

Bene certè cum illis agitur qui in salute Iehouæ tacite acquiescunt.

27. Bo

27. Bonum est viro si tulerit iugum in adolescentia sua.

Bene cum illis, qui à prima adolescentia ferula manum subducunt, & iugum Domini subeunt.

28. Qui sedet solitarius, & acquiescit in eo quod ipsi impositum est.

Quos sua non tædet solitudinis, sed suam sortem à quo ferunt animo. IOD.

29. Ponit os suum in puluerem, si fortè sit spes.

Submissè se gerunt, toti intenti in ea qua sperant.

30. Præbet percussentem genam, satiatur opprobrio.

Animos interim habent paratos ad plagas, ad quaslibet ferendas contumelias: etiam percussentibus obuertunt genas: certi Deum impiorum contusurum maxillas, confracturum dentes.

31. Nam non reijcit in sempiternum Dominus.

Neque enim suos Deus perpetuo sua destituit ope. CAPH.

32. Sed cum in cæstita affecerit, etiam miseretur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

Sed vices alternant in cæstita, & lætitia: vincitque miseriam divine amplitudo misericordiae.

33. Non enim affligit ex corde suo, nec dolore afficit filios hominum.

Nec est ille saeuus, qui miserorum mortalium delectetur calamitate: sed piger ad pœnas, nec non ad pramiam & velox: quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

34. Conterere sub pedibus suis omnes victos terræ:

Illos certè auersatur, qui miseris miseriam addunt, & victos pedibus proterunt: Ius miserorum LAMED.

35. Inuertere ius hominis coram facie superioris:

in confessu, & iudicijs, sic inuertunt, sic eos circumscribunt, & causa cadant, & ius non obtineant suum.

36. Peruertere hominem in causa sua (hæc scilicet) Dominus non

86 E X P L I C A T I O C A P . I I I .

videt. *id est*, nō probat,
Et Deuteron. 12. & 13.

MEM. 37. Ecquo dicente ex-
iitit aliquid, si Domi-
nus non præceperit?

*Habet, habet Dominus laudem
& bonitatis & omnipotentia:
Nam cuius nutu, cuius quo ius-
su extant quæ extant, nisi Domini
mandato?*

38. Ex ore excelsi non
egredientur bona &
mala?

*Domini rectè & bona, & mala
ordinantis, rectè determinantis.*

39. Cur quiritaretur
homo viuens, vir pro-
pter pœnas peccato-
rum suorum?

*Cur ergo voluntati eius misè-
rum non acquiescat mortalium
genus? cur Domino peccatores
succenseant, iustas luentes pecca-
torum pœnas?*

O B S E R V A T I O N E S I N S E C V N D A M
partem capititertij.

VIOLENTAS descripsit Propheta in prima
parte tentationes, sed longè fortius opponit scu-
tum: nam maior est is qui in nobis est, quàm qui
in mundo, vt testatur D. Ioannes epist. i. cap. 4.
In huiusmodi verò luctis consistere non possunt
humana præsidia. velut enim domus araneæ, est
talis fiducia, vt inquit Iob. cap. 8. Sed induēda est
πανοπλία Θεῶν, vt per Dominum, & forte robur eius
corroboremur: cūm nobis non cum Babylonijs
solūm, id est cum carne & sanguine, sed etiā cōtra
nosmet ipsos & spirituales malitias sit lucta.

Docet igitur hæc secunda pars, quæ tota est
γνωμολογικῆ, & tanquam sancta *ὀπλοθήκη*, siue arma-
mentariū Christianū; qualia arma in tentationib.
arripere debeamus: quas cogitationes de Deo &
eius

eius iudicijs suscipere, quas deniq; *ἀπαλ*, adhibere, ad Dominum placandum & nobis reconciliandum.

In summa monet exemplum Prophetæ, altero oculo miseriam nostram, altero diuinam misericordiam nobis contuendâ esse, nec ita agendum, vt ij qui perpetuò oculos demittunt in suas ærumnas, nec vnquâ in cœlum ad dextrâ illam Excelsi, de qua David Psalm. 77. v. 11. suspiciunt.

Primus locus consolationis est sumptus ex collatione pœnarum, cum ijs quæ pro meritis erat populus, si summo iure voluisset Deus agere: vt agnoscant Iudæi nullam esse proportionem, & se non pro meritis, sed benignè à Deo tractatos. Nam cum infinita in infinitam illam maiestatem patrata essent delicta, digni erant qui infinitis pœnis obruerentur, & funditus delerentur. Non perierunt autem omnes, sed seruauit bonam populi partem, & hospitia mediocria dedit multis: vnde consequitur, Deum etiam in illis pœnis misericordiæ summæ laudem retinuisse.

Misericordia Iehouæ quòd, &c.] Alij, vt Vatablus, legunt: *Misericordia Iehouæ non sunt consumpta*: qui sensus pius quidem est, & cum amplectuntur Calvinus & Bulingerus: quia videtur rectè congruere cum eo quod sequitur: *nonne sunt singulis matutinis misericordia tua.* sed malui sequi hoc loco Santis & Tremelij versionem, quæ textui Hebræo & Grāmatico sensui est accommodatior: *Misericordia Domini quòd non consumi sumus.* Particula illa *ἵνα* apud Hebræos quæ affirmatiuè

ponitur pro, etiam vel certè, habet ante se **DN.**
 Verbum *Tamenu*, pro *Tamu*, à *Tamam*: usurpa-
 tur aliquando pro consummatione in bonum, id
 est pro perfectione alicuius rei: hîc pro extermi-
 natione, vt 1. Regum 14. Remouebo domum
 Ieroboam vt sterquilinum, donec finiatur, aut
 consummetur: id est funditus pereat. Agnoscit
 ergo idem beneficium Ieremias, quod Esaias cap.
 1. Nisi Iehoua exercituum reliquisset nobis su-
 perstites paucos, sicut Sedom fuisset, &c. Ad-
 fert autem Ieremias *αἰτιολογίαν*, & causam, cur po-
 pulus in illa ingente calamitate, ab ira diuinæ æ-
 stu non totus consumtus fuerit: quia nimirum
 miserationes eius nunquam defecerunt. Licet
 benignitas & beneficia Dei cessent ad tempus,
 non cessant aut deficiunt ipsius *οἰκτιρμοὶ*, viscera
 misericordiæ, & naturalis illa eius propensio er-
 ga suos. Ideo orat Habacuc cap. 3. Domine in
 ira misericordiæ recorderis. Sequitur apud Iere-
 miam versu 23. illius rationis *ἐργασία* elegantissi-
 ma: *Renouantur quippe tuæ miserationes singulis
 matutinis*. i. singulis diebus, quotiescunque ros-
 cida surgit aurora: non solùm singulis mensibus,
 quos luna renouat, vnde mensis *chodesch*, à reno-
 uando, & *νομιωία* à Græcis dicitur: sed perpetuò
 noua apparent indicia diuinæ clementiæ. Idem
 est ferè, quod Psalm. 30. dicitur: Momentanea
 est ira eius, ad vesperam fletus: sub auroram re-
 dit lætitia. Et eleganter dictum est à Cypriano
 lib. 4. epist. 4. vbi de afflictionibus quæ tum Ec-
 clesiæ euenerant, loquitur: in plerisque famulis
 suis

suis ostendere dignatur Dominus redintegrationem Ecclesiae suae, post pluuias serenitatem, post tenebras lucem, post procellas placidam lenitatem, &c.

Fides tua, vel vt alij legunt, *veritas tua*, Hebr. *V. 23.*
Emunatecha] Nonnulli ad fidem nostram referunt: q. d. Magnum est credere in te, sed melius hic & opportuniùs de Dei fide & veritate in promissis praestandis accipitur: quae fides tanquam causa efficiens est illius renouationis, de qua locutus est. Constans est Deus in promissis; ergo non potest quin Ecclesiam restauret, & renouet suis seruis misericordiae suae gustum, qui eò iucundior & suauior est cum aliquandiu in luctu & mœrore fuimus. Meritò autem cum Epiphonemate extollit illam Dei fidem, qua, vt D. Paulus testatur Ephes. 3. infinita cum redundãtia omnia facere potest super ea quae petimus, aut mente concipimus.

Bonus Deus, Hebr. *T of*] non solùm *àγαθός*, sed *V. 25.*
 & *χρηστός*: bonus & beneficus.

Hic obseruanda est restrictio promissionũ generalium ad credentes, cum subijcitur: *Bonus Deus expectantibus ipsum*. Magna quidem & ampla est Dei fides; sed infideles sua incredulitate pracludunt illi viam. & hæc est diuini, & manifestati decreti ratio, vt bene sit omnibus, fide recipientibus gratiam, & seruentur, qui ad cognitionem veritatis veniunt, qui nimirum vocati & ordinati sunt ad vitam. Vult autem Dominus fidem nostram probare & exercere: Ideo iubet nos expe-

Promissiones vniuersales quomodo intelligende.
1. Timot. 2.

etare, vt Habacuc 2. Si morã fecerit, expecta eum, quia veniendo veniet, &c. Psalmo autem 78. reprehenduntur Iudæi, quòd Deum tentauerint, & sanctũ Israel limitauerint, id est, tempus & limites præscripserint: nisi hoc tempore & sic hoc feceris, sicut ciues Bethulix in historia Iudith.

Pars mea Iehoua] Alterum argumentum consolationis à Dei bonitate, & constantia in suis amandis & conseruandis. Vbi etiam doctrina occurrit de applicatione quæ debet fieri per fidem: qua statuit anima fidelis Deum esse portionem nostram. Id ipsum est quod dicit Dauid Psalm. 16. Iehoua pars portionis meæ & calicis mei: tu sustentas sortem meam: hæreditas speciosa obuenit mihi, &c. Scimus bona siue facultates distinguim bona mobilia, & immobilia: Prophetæ autem vocant Deum bonum nostrum immobile, hæreditatem nostram, portionem nostram: & Solomon Ecclesiastæ 12. Totum hominis: Deum reuerere, & mandata eius custodi, quia hoc est totum hominis. Reliqua omnia censeat esse vanitatem. Est igitur in illa phrasi Ieremiæ & Davidis pulcherrima similitudo, & tacita etiam antithesis inter filios Dei qui licet nudi, pauperes & omni hæreditate destituti videantur, Deum habent portionem suam, & in eo omnia: & inter filios mundi, quorum pars est in hac vita, & quorum venter delicij tantum terrenis saturatur, vt scribit Dauid Psalm. 17. v. 14. Argumentum illud à constantia diuinæ bonitatis erexit quoque Dauidem in graui illa lucta quæ describitur Psal.

73. vbi

73. vbi cluctans David hoc epiphonemate vtitur: Attamen bonus est Deus Israeli, sed mundis corde. qui sint illi mūdi corde, explicat Ieremias: Non qui omnis labis sint expertes; sed qui credunt, qui expectant Iehouam. Quia autem multum est in eo positum, vt inter tot miserias & tentationes de Dei bonitate certò simus persuasi, cū caro & mundus nobis persuadeant illos demum esse miseros, qui Deo seruiant: ideo aliquoties inculcat hanc γνώμην Ieremias, Bene esse ijs qui sperant in Domino, &c. quæ sententia est paradoxa carni, & opponitur iudicio humano: quod, vt scribit Malachias cap. 3. statuit vanum esse colere Deum, & beatos solos superbos & irrequietos homines.

Phrasis est illa est memorabilis, & vsitata in scripturis, SILENDIUM esse Domino: vt Esaias cap. 30. docet, in silentio & spe esse fortitudinē nostram. Silere autē siue quiescere Domino dicuntur nō solum qui nō murmurāt & disceptāt cōtra Dominū, sed ij et qui in vocatione sua cū paciētia ambulāt, nec ad inanes & audaces conatus extra metas vocationis cōfugiūt, vt multi q̄ nō possunt ἡσυχάζειν, & incōcessa præsidia quærunt, vt ille apud Virgil.

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Silere Domino.

Qui tulerit iugum in adolescentia sua, vel vt nostri interpretes, in pueritia sua] quia nimirum à teneris assuescere multum est: sicut præclarè Hilarius in Psalm. 119. in illud: in quo emendabit adolescens viam suam, &c. Nouit (inquit Hilarius) Ieremias Propheta Lamentat. 3. huius ætatis beatitudinem, quòd ei bonum sit ferre

V. 27.

iugum à iuuentute. Magnum enim consuetudo vinculum habet. Non vult expectari frigescentis senectutis annos, nec emortuam iam per ætatem vitiorum consuetudinem: vult longi prælij militem: onus illud quidem anni illi egre ferunt: sed suscepto semel onere, sedebit, & gaudebit in Domino adolescens.

Filij Belial.

In scripturis vocantur filij Belial. i. sine iugo, homines peruersi, ἀτακτοι: quos Germani vocant *Iosebuben*. Subiectio certè adolescentiæ maximè conuenit, & adolescentiæ præsertim Christianæ: & multo leuiùs omnes res aduersas ferimus, cum maturè subacti & exercitati fuimus: vt apud Homerum Vlysses de se dicit:

Οὐ γὰρ ἐπιπληγέων ἀδαιήμων, οὐδὲ βολάων.

V. 28.

In eo quod ipsi impositum est] Calvinus paulò aliter: *Silebit, quia tulit super se sc. iugum: quia proposuit sibi patienter ferre iugum Domini: vel quia ei Deus imposuit, vt Psalm. 39. obmutui, nec aperui os: tu enim fecisti.* Lutherus totum illum versum aliter legit: *Dass ein verlassener gedultig sey, Wan jhn et Was vberfelt.* Verbū Hebraicum *Nathal* reddit per verbum *verfallen*: sed propriè significat, onus imponere: Ideo secuti sumus recentes interpretes, *Silebit in eo quod impositum est*: Impositum onus patienter, & æquo animo feret.

V. 29.

Phrasis.

Phrasis scripturæ, PONERE OS IN PULVEREM, pro submissè de se sentire: Gallicè, *baïsser la teste*: Est metonymia signi: Ponere os in puluerem, pro summa demissione & reuerentia. Similis

Phrasis

Phrasis occurrit I. Cor. 14. Idiota cœtum ingrediens, cùm arguitur, procidēs in faciem, adorabit Deum, renuntians Deum verè in vobis esse, &c.

Sifortè sit spes] Et hæc Phrasis observanda est, *Phrasis.* quæ nihil facit ad fidem implicitam Papistarum excusandam: quia humano more illa dicuntur. Neque est illa Phrasis aut locutio animi diffidentis, sed modestiæ Christianæ, quæ Deo tempus & modum liberationis non præscribit, & de se summissè loquitur: vt Ioel 2. Quis scit si conuertatur? & Act. 8. Ora Deum, si fortè remittatur tibi mala cogitatio. Non de Dei misericordia dubitat ibi Petrus, sed de vera pœnitentia Simonis Magi. Nam vt nihil certius est diuina gratia, ita non est nostrum definire vel quo tempore, vel quibus personis illam communicare velit: nisi de fide hominum nobis constet. Nam certum est *Ioan. 6.* eum nullum repellere ad se venientem, & non perituros credentes.

Præbet percutienti se maxillam.] Phrasis etiam *V. 30.* hæc metonymiam habet, & vsurpatur pro signo *Phrasis.* patientiæ. Anabaptistæ ergò errant in figura dictionis, cùm ex loco Matthæi 5. Ne resistatis malo: qui te cædet in dextram maxillam, obuertere ei alteram, &c. cōcludunt id ipsum ita iuxta litteram faciendum: quod tamen si fieret, nihil aliud esset quàm fouere malum, & Deum tentare, qui vult declinari & auerti malum: & id Christus ipse summæ & absolutissimæ patientiæ exemplar non fecit percussus à famulo sacerdotis. *Ioan. 18.* Regula ergo tenenda est: Præcepta illa non *Regulæ*

sonare de gestib. externis Christianorū, sed *συμβολικῶς* cōmendari patientiam Christianam, quæ semper debet parata esse ad ferendas novas cōtumelias, si ita Deo visum fuerit, & eas effugere nō possumus honestis & legitimis medijs. Aliud est ergo ferre patienter iniuriam: aliud se exponere iniurijs hominum, & occasiones præbere impijs non necessarias.

V. 31.

Non reijcit in sempiternum] Tertius est locus consolationis, à fine & vīu afflictionum: Quòd afflictiones nobis duræ sunt, & intolerabiles videntur, id fit quia vel in illis nos à Deo reijci, vel illas nobis noxias putamus: Neutrum porrò fit: Ergo in illis animum despondere non debemus. Probat assumptionem duobus argumentis: ab euentu siue experientia: & à Dei natura & consilijs: 1, Non reijcere solet in æternum, sed vt 1. Corinth. 10. docet Apostolus, præstat vnà cum tentatione euasione, vt exempla Abraham, Ioseph, Daudis, Iobi, & aliorum testantur: 2, non affligit ex corde, id est, non delectatur miserijs nostris: est enim natura clemens & misericors, Exodi 34. ita vt dum punit, tantum non opus alienum agere videatur, Esa. 28. & in ipsis pœnis summam ostendat misericordiam, dum paternè & in summum nostrum commodum castigat: vt eleganter & piè D. Augustinus scribit Felicitati & Rustico, in epistolis, his verbis: Quid non misericorditer præstaretur hominibus à Domino, à quo etiam tribulatio beneficium est: Res prosperæ donū sunt consolationan-

folantis: Res aduersæ donum admonentis Dei,
 &c. Ergo licet utatur tyrānis, tamen, inquit Iere-
 mias, impietate non probat, v. 34. 35. 36. *Conte-
 rere vinclos, pervertere ius hominis: illa non probat.*
 Nonnulli interpretes putant hæc sic referri à Ie-
 remia *μὴ μὴ*, q. d. impios apud se statuere, Deū
 non videre, & nō curare, etiamsi cōterantur vin-
 cti, & peruertatur iudicium: vt Dionysius ille ty-
 rannus cū post direpta templa secūda vteretur
 nauigatione, blasphema voce dicebat, Deum et-
 iam sacrilegis esse propitium. Sed magis placet &
 magis consentanea est argumento & menti Iere-
 miæ lectio quam secuti sumus: Deum nimirum
 non videre, id est non probare (quæ phras̄is est in
 scripturis non infrequens) flagitia & scelera im-
 piorum. Malitiam enim tyrannorum nec indit
 Deus, nec probat: sed ordinat, & determinat iu-
 stis & sanctis iudicijs ad bonum finem, ad exer-
 cendos suos & castigandos. Etsi autem iudicio
 humano videtur esse contradictio in his dictis
 Ieremiæ: Deum non probare facinora impio-
 rum, & tamen nihil fieri nisi eo iubente: tamen
 facile id conciliari potest, si primūm distingua-
 mus inter res creatas & actiones humanas, & in-
 ter peccata. Peccata enim nec probat, nec iubet
 Dominus, sed prohibet, vt apparet ex Decalogo:
 omnes autem res creatas condidit, & bonas
 condidit. Actiones etiam regit, euentusque re-
 git & iustè regit, sapienter dirigens ad bonum
 finem, etiam ea quæ pessimo consilio ab impijs
 fiunt. Deinde æquiocatio est in verbo præci-

*Solutio ob-
 iectionis.*

Deus præci-
pit duobus
modis.

piendi. Alia enim præcipit docendo, nimirum in verbo suo: ex quo suam voluntatem vult nos cognoscere, & quid faciendum quid omittendum sit, iuxta illud, ad legem & ad testimonium, Esa. 8. Alia præcipit gubernando, dirigendo & ordinando: ut cum ordinat crudelitatem impiorum, cuius nec autor nec suasor est, ad iudicia sua exercenda, & castigandam Ecclesiam: quod fit inscijs & inuitis impijs: ut Jerem. 34. Chaldæis præcipere dicitur expugnationem vrbis.

phrasin.

Deum pec-
cati non au-
torem.

Ex ore excelsi egrediuntur bona & mala] Hic omnino necesse est explicari figuram dictionis, siue phrasin, contra eos qui Deum peccati autorem fecerunt, ut Valentiniani, Manichæi, & alij huiusmodi, qui peccata & mala à Deo creata docuerunt. qua voce in Rep. nihil terrius, nihil perniciosius, vel ipso Platone teste in lib. de legibus, audiri potest. Sic etiam Homerus Odyss. α. Iouem loquentem introducit:

Ω πόποι, οἷον δὴ νυ θεοὺς βροτοὶ ἀπὸωνται.
Ἐξ ἡμέων γὰρ φασι καὶ ἔμμεναι οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῆσιν ἀτασθαλίῃσιν ἑσθ' ἴσθ' ἄπορον δὴ γὰρ ἔχουσιν.

Papæ, inquit, ut Deos culpant mortales quasi ex nobis mala sint, quæ suis sibi accersunt itul-
titijs.

Quanto magis igitur à Christianis procul abesse debet cogitatio illa profana & scelerata, Deum peccati autorem esse, qua cogitatione flagitiosi multi impunitatem in sceleribus sibi promittere, omnemque culpam in Deum transterre solent.

Domini.

Primum igitur in illa phrasin tenendum est, os Do-
mini

mini αὐθροπία δὲς vocari eius decretum, siue statutum: vt Deuteron. 8. & Matth. 4. dicitur homo omni eo viuere quod prodit ex ore Domini, id est ordinatione, vi, gratia, & energia, quam largitur. Sic Ierem. 25. gladium vocare dicitur super omnes habitatores terræ: vbi denuntiat sibi constitutum esse vlcisci impietatem hominum. Diximus autem quæcunque ordinat Deus, illum iustè ordinare: sed quid nos agere velit, id in verbo præcipere: omnia autem quæ eueniunt etiam mala præcipere, non mandando & suadendo, sed ordinando ad certum bonumque finem malitiam & mala consilia hominum: quo sensu dicitur præcepisse Semei vt malediceret Dauidi: non quòd ei mandatum ea de re dedisset, cui pareret Semei, nihil enim minus propositum erat Semei, quàm Deo obedire: Sed quia certa prouidentia direxit Deus illam maledicentiam Semei ad alium finem quàm eum quem Semei habebat, nimirum ad humiliandum Dauidem. Talis autem doctrina nulla labe Deum aspergit, sed omnipotentia laudem ei tribuit, qui in cælo facit quod vult, vt est Psalm. 114. & nobis patientiam in aduersis subministrat, facitque vt Deo nos totos dedamus, illum inuocemus, ab eo pendeamus: qui sapienter, qui iustè, qui optimè omnia, rerumque omnium euentus regit. Malum igitur culpæ non facit Deus, sed ordinat ad fines iustos, quos æterno & sapienti decreto statuit, & præscripsit: malum pœnæ immittit. & vult, & probat, non quatenus est calamitas illata ab impijs

2. Sam. 16.

Malum enim
pœnæ

& nos dolore afficiens (non enim delectatur nostris calamitatibus & miserijs) sed quatenus est iustitiæ executio, vel quatenus afflictiones sunt nobis salutaria, licet amara, pharmaca, & nostram fidem ac patientiam acuunt. Locus qui est Amos 3. Est ne malum in ciuitate quod Deus non fecerit? & c. omnino de malo pœnæ, id est de afflictione sonat, vt loci per istas satis ostēdit, & vox Hebræa *Raab* non semper pro malo culpæ, sed & pro malo pœnæ sæpe vsurpatur: vt Prouerb. 15. Omnes dies afflicti, sunt mali: & Esa. 45. Deus faciens pacem, & creans malum. vbi apparet ex antithesi malum, pro eo quod paci & prosperitati opponitur, accipi, nempe pro rebus aduersis.

Cùm igitur omnia Dei mandato fiant, & nihil fiat absque eius prouidentia, non erat necesse introducere in Ecclesiam doctrinam *ἡ ἐκ τῆς ἐνδεχομένης*, de contingentia, quæ magna ex parte ex 6. Metaphysic. & ex libro Ciceronis de fato desumpta est, falsa quæ nititur hypothese, quasi nimirum ea sit liberi arbitrij libertas, vt contra Dei voluntatem aliquid fieri possit: nisi fortè dicamus necessitate consequentiæ siue contingentia fieri quædam nostro respectu, & quantum ex antecedentibus causis iudicare possumus. Interim certum est causas illas antecedentes, licet nobis contingentes & mutabiles videantur, regi à Deo, non mutabili voluntate (mutatio enim in Deum non cadit, nec vagus aliquis motus) sed æterno, immutabili quæ Dei consilio, qui Deus est supra naturam,

de contin-
gentia.

naturam, & licet natura impediatur, ipse in operibus suis non impeditur. Exempli causa: Resurrectio mortuorum, naturam non est necessaria, sed ob Dei decretum: quod impediri nequit. Neque tamen in peccatis se excusare homo potest: quia sponte, lubens, non coactus peccat: deinde quia praeceptum & regulam vitae habet in verbo, & tam ex verbo, quam ex poenis videt, quantopere Deo displiceant peccata.

Quid quiritatur homo ob poenas peccati] Sic V.391
 peccatum in scripturis sepe pro poena peccati accipitur, vt Genes. 4. & alibi. Calvinus legit, *Vir super peccato suo*: q. d. quid tædio se afficit homo, dum in peccatis suis, tanquam in fecibus desidet? cur non potius dat operam, vt se extricet & reuertatur ad Dominum? quid inanes gemitus & querelæ profunt, cum homo in peccatis perseverat? Sed is sensus, quem secuti sumus, minus est coactus, & melius cohæret cum superioribus & doctrina de prouidentia. Cum enim & Deus sit qui nos castigat, & is misericordiae suæ non obliuiscatur, cur ita nos conficimus mœrore, cur solui mur in eiulatus, cur murmuramus & fremimus? Nonne res est nobis cum omnipotente? nonne cum eo qui melius nobis ipsis nouit, quid sit è re nostra, &c.

Loci.

T O T sunt ferè loci, & γνῶμαι memorabiles, in hac parte, quot versus: in quibus tamen eminentè locus de DIVINA PROUIDENTIA, cuius

recordatione Ieremias se & populum sustentauit durissimis temporibus.

Definitio.

*1. p. phes. I.
2. coloss. I.
3. ian. 5.*

Prouidentia autem est, vt apparet ex vers. 37. 38. non præscientia solùm aut otiosa quædam permissio vel contemplatio, sed perpetua ex certo & sanctissimo æternoque Dei decreto rerum vniuersarum dispositio, administratio, earumque ad finem certum deductio. Operatur enim omnia secundum propositum voluntatis, & per eum omnia consistunt: assidueque operatur, & omnia (inquit Ieremias) ex ore eius egrediuntur: de qua phrasi supra in obseruationibus dictum est.

Genes. 15.

Errant igitur illi qui vel prouidentiam Deo detrahunt, vt Epicurei: vel vniuersalem quædam tantùm & promiscuam prouidentiam Deo tribuunt. Nihil enim est tam minutum, quod diuina prouidentia non regatur, & ad præstitutum finem dirigatur. Ideo solus est omnipotens, faciens quidquid vult in cælo & in terra: qui que non res solùm in genere, sed & media perducen- tia ad finem ordinauit. Exempli causa: Cùm constituisset, vt semẽ Abrahamæ seruiret in Ægypto, & illam seruitutem consequeretur liberatio illustri, quàm miris modis hoc perfecit? Immittit somnia Iosepho: ille Ismaelitis venditur, detruditur in carcerem, inde euehitur ad summam dignitatem: nascitur Moses; mirè promouetur in aulam Pharaonis: & quæ postea miranda euen- nerunt, singulari Dei prouidentia.

Vfus

Vsus illius doctrinae est: 1, quòd sic illustratur Dei potentia; nō enim minor virtus est regere & tueri id quod factum est, quàm efficere: 2, inuocationem stabilit. Meritò enim ille in omnibus inuocatur, qui omnia in manu sua habet: 3, ad patientiam hoc inuitat, quòd statuimus à Deo omnia regi: & per cōsequens bene regi, & omnia cooperari filiis eius in bonum: Ideo dicimus, *Fiat voluntas tua sicut in caelo, sic etiam in terra.* 4, Medijs & causis secundis vtimur religiosè, cū eas etiam à Deo administrari persuasum habemus: & vtimur modestè, illis non alligantes spem nostram, sed in primam causam semper respicientes.

Neque habet hæc doctrina aliquid commune cum Fato fatuorum Stoicorum: quia aliud est diuina prouidentia, diuinaque & sapientissima gubernatio: aliud Fatum, in quo ad Dei voluntatem non respiciebant Stoici, sed id esse fingebant causarum inuicem se consequentium complicationem immutabilem, vt ex eorum sententia definit Cicero lib. 2. de diuinatione.

TERTIA ET VLTIMA PARS capitis tertij.

Versio.

Paraphrasis.

40. PERSCRUTEMUR
vias nostras & perue-
stigemus: & reuertamur
ad Iehouam.

QVIN nos potius ipsos excu- NVN.
tiamus totos, & mores nostros per-
scrutemur, & ad Iehouam Deum
illum fortem, nos hæctenus deuij,

41. Attollamus animum nostrum cum manibus, ad Deum fortem in caelos.

42. Nos defectionem fecimus, & rebellauimus: idcirco tu non pepercisti.

SAMECH, 43. Obuelasti te ira, & persecutus es nos: occidisti, & non pepercisti.

44. Obuelasti te nube, ne pertranseat oratio.

45. Purgamentum & reiectamentum statuis nos in medio populorum.

PE. 46. Diducunt contra nos os suum omnes inimici nostri.

47. Pavor & fouea adest nobis, vastatio & contritio.

48. Riui aquarum descendunt ex oculo meo, propter contritionem filiae populi mei.

AIN. 49. Oculus meus defluit, nec desistit: eo quod non sunt intermissiones:

50. Donec prospiciat & videat Iehoua de caelis.

recti, sublatis in caelum animis & palmis tandem reuertamur.

Hactenus enim triste fecimus diuortium: fuimus heu rebelles, & mirum non sit te non pepercisse, Iehoua:

Sed iram grauem in peccata nostra, & velum obducere: nos persequi, & nihil parcendo interficere.

Te inquam & velut nube interiecta velatum, ne & illius nostris precibus pateat aditus:

Atque nos ita miseros tanquam scoriam, inutilesque quisquillas inter gentes proiectos,

Immani fauces diducentibus hiatu hostibus omnibus.

Nobis & undique obuersantur, heu, ob oculos formido, & teterrimi que carceres: & vastatio, & calamitas.

Manant aquarum riui ex oculis, propter tristissimas ciuitatis meae ciuiumque ruinas.

Vt nulla doloris, sic nulla lacrymarum intermissio esse potest:

Donec re ipsa sentiam Iehouam de caelis meas respicere benigno & cultu miserias.

51. Oculus meus dolore afficit animū meum, propter omnes filias ciuitatis meæ.

O graue sensum oculorum, ferreum certe pectus esset meum, si tanta cladis aspectus tamq̃ nobilis ciuitatis interitus animum non percelleret, non cruciaret.

52. Venādo venati sunt me tanquam auiculam inimici mei immeritō.

Mihi nihil tale commerenti TZADH. insidias tanquā auicula moluntur hostes, laqueosq̃ tendunt.

53. Extruserunt in foueam vitam meam, & proiecerunt lapides contra me.

Imò iam in barathrum precipitatum lapidibus obruunt duris.

54. Exundantibus aquis supra caput meū, dixi: excisus sum.

Rapidis ergo aquarum mersus fluctibus, suffocato rupi hos pectore questus: Actum est, perij.

55. Inuocaui nomen tuū ex cisterna infima.

Tu tamen, o pereuntium refugium Vnicum, Iehoua, qui ex imo COPH. malorum gurgite nomen tuum inuocantem, & opem implorantem

56. Vocem meam exaudiuisti: ne abscondas aurem tuam, ad respirationem meam, & clamorem meum.

exaudiuisti quondam, cur nunc à suspirijs, cur ab eiulatu meo aurem auertas tuam?

57. Appropinquasti quo die inuocaui te, dixisti: ne metuas.

Quoties tu supplici mihi occurristi benignus? quoties animum meum iussisti omnem ponere metum?

58. Defendisti Domine causam animę meę: redemisti vitā meam.

Quoties mea patronus causa, RES. quoties vindex vita fusti mea?

59. Vides, o Iehoua, peruersitatem mihi factam, iudica iudicium meum.

Ad sis igitur nunc quoq̃ Iehoua, & cum palam sit quanta mihi fiat iniuria, & quā indignis habear modis, sis ipse mea causa iudex, sis queso assertor.

60. Vides totam vltionē istorum, omnes cogitationes eorum contra me.

Vides enim animum quā gerant contra me isti minacē, quā infestum, quā truculentas habeant cogitationes.

CHIN. 61. Audis probrum
eorum, ô Iehoua, omnes cogitationes eorum contra me:

62. Labia insurgentium contra me, & meditationem eorum aduersus me tota die,

63. Sedere istorum, & surgere intueri: utque sim eorum cantilena.

TAV. 64. Repende eis vi-
ces, ô Iehoua, secundum opus manuum ipsorum.

65. Da eis cor circuncinctum, & execrationem tuam.

66. Persequere in ira, & perde eos, ne sint sub cœlis, Iehoua.

Audis & quàm grauibus me vexent contumelijs: Quàm impotenter me suis insectentur maledictis, quæ in me assidue mala eorum meditatur mens.

Aspice ut eorum sim fabula, ut cantilena, siue sedeant, siue ambulent.

Et tu summe Iehoua, pœnas sceleribus eorum repende pares,

Dura corda circumfunde tenebris, mœrore, malo omine, & execratione.

Et cum te cœli soliq; Dominum nõ reuereantur, iustissima accensus ira, dele & extermina eos, ut neq; cœlo fruantur, nec solo.

OBSERVATIONES IN TERTIAM & vltimam partem capituli tertij,

*Cal. 51.
a. 66.*

Perscrutemur vias nostras] Est ἡ ἀφορμή adorationem: quæ ut semper necessaria est, ita maximè in tentationibus; quemadmodum D. Iacobus monet cap. 5. Affligitur aliquis inter vos? oret. Optima est autem illa præparatio, cum nos ipsos diligenter excutimus, quia cor contritum & humiliatum Deus respicit. Sed, ut rectè monet

net D. Ambrosius lib. 3. epist. 11. Rara est confessio peccati: repugnat natura, repugnat verecundia, &c. Et ut ille ait: Nemo est quem non aliqua in re cernere suffenum possis. Ideo pluribus verbis hoc inculcat Ieremias, ut populus vias suas perscrutetur, & inuestiget: nam via tua & actus tui, inquit Ieremias capite quarto prophetiae, fecerunt haec mala tibi. Caeterum cum agnitione peccati coniuncta semper debet esse fides, quae dum nititur diuina misericordia, animos nostros erigit, ut ad illum ipsum confugiamus, quem offendimus, ut hoc loco monet Ieremias: *Attollamus animum nostrum, cum manibus ad Deum.* Conuersio igitur siue reditus ad Deum, non est in viribus nostris positus, sed est fidei effectum nobis praelucentis, & nos persuasos reddentis de Dei miserationibus, quae longè superant peccata nostra: ut David Psalm. 130. loquitur: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis stabit? Sed apud te est condonatio, ut reuerenter colaris, &c.

Quod Propheta nouis parabolis & allegorijs iram diuinam & calamitates populi amplificat, eumque tanquam ira obuelatum in medium statuit, ideo facit: ut sub eius potenti manu humilietur populus, & intelligat quam graue sit incidere *Hebr. 10.* in manus Dei uiuentis.

Purgamentum & reiectamentum] Alij legunt, *V. 45.* *abrasionem & abiectiorem.* Idem ferè est quod D. Paulus 1. Corinth. cap. 4. scribit, *καθάρματα τῆς κόσμου ἐξυήθημεν ἕως ἄρτι*, purgamenta mundi, & sordes vndique collectæ, piacula & quisquiliae.

V. 57. *Appropinquasti, dicens: ne metuas*] Confirmat Propheta suam & populi fidem, partim ab experientia superiorum temporum, partim à Dei natura. Is enim cum sibi sit semper similis, non potest quin semper in periculis seruet ac tueatur Ecclesiam se inuocantem, sicut fecit ab initio mundi. Tali argumento sæpe utitur David, ut Psalm. 85. Reduxisti sc. olim, captiuitatem Iacob: Remisisti iniquitatem populi tui; abstulisti iram: cessare ergo fac & nunc iram tuam.

Phras.

Dicitur autem appropinquare Deus, iuxta nostrum sensum: quia videtur nobis tum maxime propinquus, cum adiuuat & benefacit: remotus vero & procul, cum non sentimus solitum fauorem: quanquam tum maxime propinquus est, cum remotus videtur, & ipse non Deus est de longinquo, sed est propinquus gratia & fauore omnibus inuocantibus eum in veritate.

Psalm. 145.

Dicit autem nobis ne metuamus, non solum per visiones, ut olim nonnullis: D. Paulo Act. 27. astitit Angelus Dei dicens: Ne metue Paule, oportet te Cæsari sisti: & Theodosio Imperatori in summis angoribus constituto, in somnis duo viri candidis induti vestib. equisq; albis vecti apparuisse dicuntur, qui bono animo eum esse iuberent: sed nobis id dicit Dominus, nosque alloquitur & confirmat, tum verbo suo, dulcissimisq; promissis, tum suo spiritu, qui perhibet testimonium cordibus nostris nos esse filios Dei. Esa. 41. Ego Dominus apprehendens manum tuam, & dicens tibi, Ne timeas: Ego adiuui te, &c.

Theodoret.

istor. lib. 5.

cap. 25.

Red-

Redde eis retributionem] Oratio Ieremiae com- V. 64.
 plectitur duas petitiones, ut Deus nimirum libe-
 ret Ecclesiam, & ut exerceat iudicia in hostes:
 iudicia nimirum non quae dicat animi humani
 impatientia, aut vindictae cupiditas, sed qualia
 Deus saepe praedixerat. Nam si multa patiuntur iu- 1. Pet. 4.
 sti, qualis tandem erit impiorum exitus? Sic Esa.
 14. Babylonijs pereuntibus insultaturus dicitur
 Dei populus, non ex petulantia & effreni licen-
 tia, sed ut Dei potentia celebretur.

Da eis tegumentum vel clypeum cordis] Nostri V. 65.
 recentes interpretes haec ad Ecclesiam referunt:
 quasi oret Ieremias per Antithesin, ut his (Iudaeis
 nimirum) det Deus protectionem suam, illis (ho-
 stibus) maledictionem. Sed quia omnes illi versus à
 versu 60. ad finem diriguntur in hostes, non liben-
 ter discedo ab aliorum interpretum sententia:
 qui tegumentum illud cordis pro summa male-
 dictione, aut summae maledictionis effectu po-
 nunt. Ideo Ieremias maledictionem siue execra-
 tionem coniungit eodem versu cum tegumento
 cordis. Petit igitur pro cumulo poenarum, ut ob-
 sideatur, & circumcingatur cor eorum, id est, sit
 in summis angustijs, vel obducatur caligine: quae
 summa est poena impiorum, cum cor vel dolo-
 ribus, vel tenebris, & caecitate opprimitur: sic-
 ut Pharaoni accidit, & ijs quorum cor quasi Esa. 6.
 pinguedine obducitur. quod cum fit, ruunt
 in exitium, & ex malo in malum impij. Esaiae
 capite 60. cum promittitur liberatio Eccle-
 siae, dicitur fore ut dilatetur cor piorum.

Phrasis. Illi dilatationi fortasse opponitur phrasis hæc Ieremiæ, *Meginat-leb*, scutum, compressio cordis: quanquam malim ad obtinationem & indurationem referre: id enim magis conuenit cum metaphora scuti. opponunt enim impij cor suum contumax Deo, vt scutum, nec dant locum Spiritui sancto: & punit Deus peccata peccatis, ita vt priuati Spiritu sancto reprobi, & traditi Sathana, cor scuti instar induent.

CAPVT IIII.

Argumentum capituli.

Hoc caput, sicut primum, in versiculis retinet ordinem Alphabeti, nisi quòd litera *Pe* ponitur ante *Ain*, sicut in capite precedente.

Doctissimus vir O Ecolampadius secutus Chaldaum interpretem, & alios nonnullos Rabinos, ex ijs quæ versu 20. huius capituli de vncto Domini memorantur, colligere voluit, mortem Iosia, si non omnibus capitibus, saltem hoc capite quarto lugeri: de quo in *αελερμειοις* dictum est. Est certè manifestum quæ de Rege capto, & de lapidibus Sanctuarij per urbis compita dispersis, hoc capite recensentur, ad Iosia tempora referri non posse. Ergo ab eorum sententia non discedemus, qui eandem quam supra calamitatem, verbis commutatis representari, & deplorari existimant: qua in sententia sunt quoque Calvinus, Bulingerus, & nostri recentiores interpretes. Hic autem non sunt ficti luctus, aut inanes *ταυτολογιαι*, &

αειλο-

ἀειλογία, quas ab ipsis profanis autoribus derideri scimus: sed sunt serij gemitus a Spiritu sancto excitati: varia autem oratione ideo a Ieremia expressi, ut sciamus nullum esse flumen orationis tantum, quod iræ diuinæ magnitudinem & patriæ atq; Ecclesiæ funera satis exaggerare queat. Hic enim semper est illis rebus inferior omnis oratio.

Præterea cum notus sit nobis ingenij humani stupor, & tarditas in sentiendis & agnoscendis Dei iudicijs, mirum videri non debet, si pij doctores in concionando, præsertim in pœnitentialibus concionibus πᾶθος & aculeos adhibent. Ut nulla est (inquit Cicero) materies tam facilis ad exardescendum, quam nisi admoto igne ignem concipere possit: sic nulla mens tam parata quæ possit incendi, nisi inflammatas & ardens orator accesserit. Ad auditores autem, miseratione præsertim afficiendos, multum possunt translationes, allegoria, comparationes, exclamationes, & aliæ figuræ διαβολίας, quibus inter alia caput hoc quartum refertum est.

Occurrunt enim metaphora, & allegoria appositissima, auri, lapidum, &c. Comparationes etiam emphaticæ, & multiplices, cum draconibus, cum aquilis cœli, cum niue, &c. quibus mirum in modum auditorum & lectorum animi percelluntur. Pulcher *vsus trās-* est apud Ciceronem lib. 3. de oratore locus de huius- *ta oration* modi translationibus, cum ita scribit: Transferendorum verborum modum, siue metaphoras, necessitas genuit primum, inopia coacta: post delectatio, incunditasq; celebravit: ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi cœpit ad ornatum,

Et dignitatem. Deinde adfert Cicero aliquot causas, cur etiã in maxima verborũ copia translatis verbis delectemur: nimirũ quòd vel ingenij specimẽ est trãsilire ante pedes posita, vel quòd is qui audit aliò ducitur cogitatione, qua maxima est delectatio: Tũ quia trãslatio qua sumta ratione est, ad sensus ipsos admo-uetur, maximè oculorũ, qui est sensus acerrimus. Ponunt. n. metaphora in cõspectu animi, qua alias cerne-re nõ possemus. Summa quippe laus translationũ, ut sensus feriant. Hęc Cicero: qua verissima esse experiuntur, qui has Ieremie Lamentationes legunt.

Ceterũ capitis quarti tres sunt partes. Prima pars rursus incipit ab Echa, sicut cap. i. Et 2, ab exclamatione Et interrogatione, Et est plena querelis Et lamentis, usq; ad versum 11. Amplificationes huius partis à tribus locis ducta sunt. 1. à persona eorum qui perierunt, inclutorum, Sacerdotum, Nazarorũ, Et infantium, quorum casus partim ob dignitatem quam auro assimilat, partim ob etatem miserabilis fuit. Alter locus est ex cõparatione cum brutis, ut cum draconibus, Et c. Et cum calamitate Sodome Et Gomorrhæ. Tertius locus amplificationis est ductus ab effectis horrendis, Et ijs qua tũ acciderant, Et in illa tristici clade se offerebant: quòd videlicet nobilissimi quiq; in stercora depressi erant: manus mulierum natos suos interfecerant: quòd deniq; subito à summo fastigio gloriæ ad summam ignominiam deturbatus erat populus.

Alter pars est ἀποκρίσις, responsio siue subiectio, ut vocat autor ad Herennium: qua calamitatum cause, de quibus initio capitis quærebatur, explicantur

usq;

vsq; ad finem versus 20. Hæc pars est partim dida-
 xλικὴ partim ἐλεγχικὴ. Docet enim à Deo irato pro-
 ficisci illas misérias: sed à Deo iusto, qui grauias pec-
 cata punit grauius, & potentes potenter, ut legimus
 Sapient. 6. & à Deo verace, qui ea impleat quæ
 prædixerat: & quæ dum prædicebatur, à populo con-
 temnebantur. Grauiissima legitur oratio Manlij
 Torquati ad popul. Romanū apud Liuium histori-
 cum ciues suos his verbis admonentis: Liberi & in-
 columes desiderate patriam: imò desiderate dum
 patria est, dum ciues eius estis: serò desiderabitis di-
 minuticapite, ab alienati iure ciuium, serui Car-
 thaginensium, &c. Sic Iudæi serò tandem agnoue-
 runt, quantum decus amisissent: & homines Epime-
 thei potius esse solent, quam Promethei.

Post doctrinam illam adhibetur à Ieremia re-
 prehensio. Arguit enim magistratum crudelita-
 tem, vers. 13. cæcas & vagas libidines, v. 14. &
 15. vanam fiduciam in externa præsidia & in bra-
 chium carnis, ut in socios, & in Regem ipsum, v. 17.
 & 20.

Tertia pars duobus ultimis versibus comprehensa,
 est μαυλικὴ, siue prophetica: habet enim prædictio-
 nem & denuntiationem iudicij hostibus euenturi:
 præsertim Idumæis, qui acerbiores & virulentio-
 res omnibus hostibus se præbuerant, ut in Obadia
 videre est. Ita semper solet sua carmina claudere
 Ieremias aliqua consolatione. Summa est: gaudere
 mundum & exultare, dum nobis plorandum est,
 sed non fore populi Dei calamitatem, neque ho-
 stium felicitatem diuturnam. Nam incipiunt

quidem Dei iudicia à domo Dei: verum in impijs desinent, & ijs erunt exhaurienda feces poculi illius amari, quod suis primùm propinat Deus. Nihil certe est, ut verissimè in Officijs scribit D. Ambrosius, quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm ut credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallunt, indecora offendunt, & honesta deletant.

Versio.

Paraphrasis.

- ALEPH.** 1. Quomodo obscuratum est aurum: immutata est auti optimi massa: disiecti sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum?
- BETH.** 2. Filij Zion pretiosissimi, æstimati auro purgatissimo, quomodo reputantur ut lagenæ testaceæ, opus manuum figuli.
- GIMEL.** 3. Etiam Dracones præbent mammam, lactant catulos suos: filia verò populi mei crudelis ut struthiones in deserto.
- DALETH.** 4. Adhæret lingua lactētis, palato eius præfiti: paruuli petunt panem, & nō est qui partiatur eis.
- HE.** 5. Qui vescebantur delicatis cibus, pereunt
- ERGONE** quacumq; radiantia, & rutila obrizæ auri instar, apud nos fuerūt, exolescere, & omnem amittere nitorem? ipsosq; sacre ædis & augusti Sanctuarij lapides disiectos, passim per platearum compita diffisos cerni?
- O nos tam capite diminutos: cum inclyti inclytæ Sionis nati, olim purgatissimi auri instar conspicui, testaceo figulorum opere sint viliores.
- O rem stupendam: quod vel horrifera genus ferarum exercita mamma suos pascit catellos, id mei filiabus negatum est populi.
- Hæsit enim præ siti lactentium lingua palato: flagitantibus paruulis panem, non est qui buccellam porrigat.
- Qui delicatè & opiparè viuere solebant, crudeli famis tabe con-
- per

per vicos: qui in cocchino educati sunt, ample xantur stercora.

6. Et maior est poena filiae populi mei supplicio Sodomæ: quæ momento subuersa est, nec ei manus admotæ sunt.

7. Mundiores erant Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores erant corpore, quàm carbunculi: ut sapphirorum erat polities eorum.

8. At nunc obscurior nigredine est forma eorum, non agnoscuntur in plateis: ad hæret cutis eorum ossibus ipsorum: aret tanquam lignum.

9. Melius habuerunt confossi gladio enecatæ fame: melius qui confossi expirarunt, quàm qui terræ frugū penuria.

10. Manus mulierum misericordiam coxerunt natos suos, ut essent eis cibum, in contritione filiae populi mei.

fecti, in medijs corruunt plateis, eosq; non coccinum, sed stercora ambiunt.

Graviores heu luit Ierusalem VAV. pœnas, quàm quæ cælesti & subito deflagrauit incendio Sodomæ, nec hostiles manus experta, nec obsidionem passa.

Quàm quæso inter cætera acerba est sacratissimi ordinis Nazæorum recordatio? quos cananæ puriores, niueo lacte candidiores vidimus: corporibus autem præditos carbunculorum instar rubore nativo suffusis, & ipsis sapphiris exsculptis politioribus.

Illos nunc proh dolor videas (si quis tamen rem tam tetram spectare sustineat) atra obductos nigredine, & ita deformatos ut agnoscere non possint, quia concreta est cum ossibus cutis ipsorum, & ligno aridiores sunt.

O durum famis telum: ô illorum sortem tolerabiliorem, quos gladius confodit, quàm quos confecit dura fames, & terræ munerum penuria.

Ecce enim quò saeva, quò vesana fames mulierculas ipsas naturam mites impulerit, ut videlicet teneris non pepercerint fœtibus: sed eos coxerint, ut feralibus epulis famem in illa funesta calamitate lenarent.

OBSERVATIONES IN PRIMAM
partem.

V.1. *Immutata est auri massa*] *Chetem*, Hebraicè, massa auri optimi: videtur dictio peregrina. Inde verisimile est deduci *Michtam*, id est, clendium ex auro purissimo: sic inscribitur Psalmus 16. *Michtam Davidis*, id est, insignis & aurea ode Davidis.

V.2. *Filij Zion estimati auro vphar*,] est species auri purgatissimi, quale est Indicum. Aurum vphar & aurum ophir pro eodem ponuntur. Psalmo 45. *Coniunx tua stat in auro ophir*. Egregia est metaphora auri & argenti, qua res eximia, pura, illustres significantur: vt *Esaia* 1. *Quomodo meretrix facta est vrbs fidelis? argentum tuum versum est in scoriam*. Hic autem versu 2. explicat statim suam metaphoram Propheta, cum inclytorum Zionis meminit, qui eminebant & quouis auro illustriores erant. Sic quoque *Lucretius* bellorum ciuilium Romanorum miseriam à personis quæ interierant, exaggerat:

*Nobilitas cum plebe perit, lateq; vagatur
Ensis, & à nullo reuocatum est pectore ferrum.
Non senis extremum piguit vergentibus annis,
Precipitasse diem, nec primo in lumine vitæ:
Infantis miseri nascentiarum perire fata.*

V.2. *A estimati auro*] *Vatablus* legit *amicti*, *Mesulaim*. Radix quidem illius dictionis significat sternere: sed deinde in scripturis accipitur pro comparatione, quia merces quæ comparabantur,

tur, vel commutabantur, prius ob oculos velut sternebantur. Ieremias autem non in genere solum deplorat calamitatem Ierosolymæ: verum etiam in specie & velut per gradus enarrat, quid singula membra illius nobilissimi populi passa sint. Illustrium autem & inclytorum facit primum mentionem: quia illi in Rebus publicis maximè sunt conspicui, & excelsorum grauior est casus. Sicut videmus mirari Liuium lib. 9. Decadis 4. tres clarissimos viros non inuenisse finem dignum suo splendore: Annibalem, qui proditus ab hospite, veneno interfectus est: Philopœmenem, & Scipionem, qui in exilio mortuus est.

Describit porrò Ieremias inclytos à dignitate, splendore, cibo delicato, vestibus pretiosis, & alijs adiacentibus ornamentis: sicut Christus ait Matth. 11. Proceres, qui in Regum aulis sunt, pretiosis vestibus amicti sunt. Caterùm nulla est dignitas, nullus splendor qui homines ex pœnis diuinis eximere possit: & magnis ac illustribus *Vide Psal. 49. & 82.* æque flendum & moriendum est Deo irato, atque alijs: imò multo grauius est illis quàm vulgo aliquid pati, vt Cicero ad Atticum de sua fortuna lamentatur: Possum ne (inquit) obliuisci qui fuerim? quo caream honore? qua gloria? quibus fortunis? &c. Rectè igitur monet Comicus, omnes cùm secundæ res sunt, maximè meditari secum debere, quo pacto res aduersas ferant, pericula, damna, exilia.

Etiã Dracones exerunt mammam] Amplifi. V. 3.

H ij

catio per comparationem cum immanibus feris, quæ tamen catulis alimoniam suppeditant, eis-que exertam mammam præbent: Fœminæ autem Ierosolymitanæ fœtus suos velut abijcere coguntur, exarescentibus in summa fame mammis. Dictio Hebræa *Tanin*, latè patet: pro serpentibus, terrestribus, & reptilibus marinis accipitur. Vulgo *Dracones* vertunt. sed recentes interpretes hoc loco maluerunt vertere *Phocas*, qui sunt vituli marini, qui ad littus accedentes fœtus mammis educare solent, & locum receptus habent, ubi fœtus continent, donec assuefiant vendis: sunt enim amphibia animalia. De his vide Plinium lib. 9. historiæ cap. 13. Serpentes autem terrestres mammas non habent, neque *Dracones*: & inter volucres solus vespertilio. Hieronym. *Tanin* hoc loco vertit, *Lamias*: quo nomine plani quidem pisces vocantur, de quibus idem Plinius lib. 9. cap. 24.

Crudelis ut struthiones in deserto] vel struthio-cameli, sic à Plinio lib. 10. vocantur. Imitantur auium naturam, & habent pennas: quanquam ex terra non attolluntur. De his etiam Aristoteles lib. 4. de partibus animalium cap. 14. Recentes nostri interpretes verterunt, *ut ulula*: quia illæ fœtus suos deserunt. De crudelitate etiam struthionum obliuiscantium suorum pullorum, vide Iobum cap. 39. vers. 17. 18. 19.

V.4. *Nec erat qui frangeret, vel potius, partiretur eis panem*] Hec. *Pores*: quæ dictio non propriè frangere significat, siue κλάζειν, sed pariri, diuidere.

re.

re. Sic Esa. 58. v. 7. Nónne vt partiaris esurienti panem, &c. κλάζειν enim siue frangere Hebraeis dicitur *Schabar*. Differt ergo fractio à partitione, vt species à genere. Quare aliud est apud Prophetas, partiri, diuidere, vel distribuere panem: & apud Euangelistas in ritu cœnæ panem datum, vel distributum frangere, τὸν ἄρτον κλάζειν, qui ritus analogiam habet ad corpus Christi τὸ ἕσθ' ἡμῶν κλώμενον: de quo D. Paulus 1. Cor. 11. vers. 24.

Amplexi sunt stercora] id est, vel iacuerunt in stercorebus, qui antè vestiti erant cocco: vel in summa fame edulij aliquid ex ipsis stercorebus quæsiuerunt: vt accidit grassante fame in Samaria, de qua 2. Regum cap. 6. vbi sterco columbinum etiam magno vendebatur.

Et maior reputata est pœna] Alij interpretes pleriq; *Maior iniquitas mea, peccato Sodoma.* Verùm certum est ex tota peristasi textus, Prophetam non conferre peccata cum peccatis, sed pœnas cum pœnis: quia vt postea subijcit, momento euersa est Sodoma, nec impressio in illam nisi à Deo facta est, subitoque deflagrauit: cùm Iudæis, durante obsidione, & postea, diu tanquam contrabescendum fuerit. Dictio Hebræa *Aaon*, satis sæpe pro pœna vsurpatur, vt 1. Samuel. 28. dicit Saul Pythonissæ: viuit Iehoua, si accidet tibi iniquitas, id est pœna, propter rem istam.

Nazarei candidiores, &c.] Non mirum est ita amplificari à Ieremia cladem Iudæorum: & querimoniam ab eo institui de luctu, & squalore omnium ordinum: in quibus fulgebat Dei maie-

Nazaræi
iii.

stas & virtus, in primis in Nazaræis, qui ordo sanctissimus, Deoque totus deuotus, & donatus fuit. Eorum ritus leguntur Numerorum cap. 6. Nazaræi dicti, & peruschim, id est separati, & segregati à communi viuendi ratione. Etsi autem à vino abstinebant, & austerius vitæ genus sequebantur, testatur tamen Ieremias singulari Dei prouidentia factum, vt vegetis, & bene coloratis nitidisque corporibus præditi essent. Similia de Daniele, & socijs eius legimus, Danielis cap. 1. dum in Babylone leguminibus vescerentur. Ille porrò Nazaræorum ordo cessat in nouo Testamento, sicut & ordo Leuiticus, & multi alij ordines: postquam summus ille Sacerdos & Pontifex Christus apparuit, verusque non quidem Nazaræus professione (eorum quippe sectã non secutus est, edit enim & bibit, vt alij homines) sed verus Netzer, surculus adseruatus de radice Iesse, quæ planè extincta videbatur: vt Deus promiserat Esaia cap. 11. quò alludit scriptura, cum eum memorat habitasse in Nazareth, vt impleretur quod dictum fuerat, Ναζωραῖος κληθήσεται, Matth. 2. Cæterum Christianos omnes decet veros esse Nazaræos ἀφορισμένοις, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἀπειν, vt monet D. Paulus 2. Corinth. 6. Nam licet ritus cesset, & omni cibo cum gratiarum actione vesci liceat: tamen Spiritu sancto in nobis habitante, Deo peculiariter consecrati sumus.

Matth. II.
2. 19.

PARS

PARS SECUNDA CAPITIS

quarti.

Versio.

Paraphrasis.

11. COMPLEVIT Iehoua indignationem suam: effudit furorem iræ suæ: & accendit ignem in Sion, qui cōsumsit fundamenta eius.

AT Verò obuia sunt infanda illius cladis occasiones: nec difficile est earum edisserere causas. Quis enim tam hebes est, qui non agnoscat magni illius & armipotentis Iehouæ patientiam sapius. Iam, in indignationem esse versam iustissimam, qua nunc consummata & exastuans sese totam in nos effudit, & Sionem ab imis euertit fundamentis.

CAPH.

12. Nunquam credidissent Reges terræ, & omnes habitatores vrbis habitabilis, infurū esse hostem, & inimicum per portas Ierusalem.

Et si enim vix exteri Reges, illius loci maiestatem sepe reueriti vix orbis terrarum incolæ nunquam sibi persuasissent, hostes & illos fore tam potentes, tam felices, qui in sacrosanctæ vrbis portas, & in ipsa adita penetrarent:

LAMED.

13. Propter peccata Prophetarum eius, iniquitates sacerdotum eius: qui fuderunt in medio eius sanguinem iustorum.

Non possumus tamen inficias ire, quin nos ipsi nostræ miseriæ architecti fuerimus, dum tam sceleratè, tam crudeliter se non promiscua tantum plebs, sed Propheta ipsi, sacerdotes, & qui alijs præluere debebant, gesserunt, & eorum sepe innoxio maduerint sanguine dextra.

MEM.

2. Paral.
36. 14.

14. Vagati sunt cæci per vicos: contaminati sunt sanguine, quem nō potuerunt quin tangerent vestimētis suis.

Illi enim furore & amentia cæci, bacchantes per plateas sanguinis tantum fuderunt, & non potuerunt non cruentari eorum vestimenta.

NVN.

SAMECH. 15. Recedite polluti
(clamabant eis) recedite, recedite, ne attingitote: quia euolarunt, etiam vagantes: dixerunt inter Gentes, Non ultra commorabuntur.

Quare illis occlamitatum est, tanquam piaculis & pollutis: Faceſſite, faceſſite, procul faceſſite prophani, nec locum ſacrum amplius contingitote: ſicut reuera eos iam Deus tanti ſceleris ultor, auolare & incertis ſedibus vagari iuſſit: ita & Gentes ipſæ iuſtiſſimas agnoſcentes Deum ab eis re-poſcere penas, palam dicant: illos ad priſtinas ſedes nunquam redituros:

PE. 16. Quos irata facies Iehouæ relegauit: nec respiciet amplius: [quorum hostes] rationem sacerdotum non habent; senibus non faciunt gratiam.

Quos nimirum iratus Iehoua proſectos in exilium relegauit, melioreq; ſultu non reſpicit: ſed immānibus ſubiicit hoſtibus, qui nec ſacerdotum reuerentia ulla, nec ſenium commiſeratione afficiuntur.

AIN. 17. Nos autem adhuc: oculi (inquam) nostri cōsumuntur in auxilio vanissimo nostro: dum speculatione speculamur versus Gentem, non ſeruaturam.

Nos autem interim hac tanta dementia ceperat, & oculos irretortos, ac longo contritu feſſos deſigeremus in vana inaniaq; AEgyptiorum auxilia, parum memores à filiis hominum, maxime vero ab infidelibus fruſtra fidem, fruſtra expectari ſalutem.

TZADÉ. 18. Venantur gressus nostros, ne incedamus per plateas nostras: appropinquauit finis noster, completi sunt dies nostri: imò aduenit finis.

Vix ergo canes venatici ferarū veſtigia diligentius odorantur, & perueſtigant, quā hoſtes gressus nostros, & per fora, per plateas incedere amplius tutò non liceat: Venit quippe ſumma dies: nobis ſunt peracta tempora noſtra: periodus ecce, ecce finis noſter aduenit.

COPH. 19. Velociores fuerunt persecutores no-

ſo aduenit: ita velociter & dērepente

striaquilis cœli: in mō-
tibus ipsis insectantur
nos: in ipso deserto in-
fidiantur nobis.

20. Spira mentum na-
rium nostrarum, vn-
ctus Iehouæ captus est
in foueis istorum: de
quo diximus, in umbra
eius nos victuros inter
Gentes.

*pente nos hostes oppresserunt pra-
petibus ipsis aquilis & velociores; & ut
nec in montibus, nec in deserto
eorum effugere liceat insidias.*

Et quod unicum, heu, rerum RES.
*nostrarum columen supererat,
Rex, Deo sacratus, Christus ille
Iehouæ, Messia expectati typus; eo-
rum laqueis irretitus est, & iam* Jerem. 39.
*barbara patitur imperia: is, quo
imperatore & duce nos contra
Gentes tutos fore, & sub cuius tu-
tela tanquam sub dulci Umbra
nos requieturos sperabamus a-
mentes.*

OBSERVATIONES IN SECUNDAM partem capitis 4.

IMPLEVIT *Iehoua indignationem suam*] Hæc V. II.
pars porrigitur ad finem vsque versus vigesimi:
& est subiectio, siue explicatio causarum, cur in
tot tantasque acerbitates inciderit populus. De
his autem respondet nonnunquam Propheta à
posteriori, vt capite primo, versu 8. *peccatum pec-
cauit Ierusalem*: Hic verò à priori, cum adducit
Ieremias primam hanc causam, Dei iram, siue iu-
stissima iudicia vindicantia scelera populi: quo-
rum aliquem catalogum postea texit.

De ira Dei, & eius æstu, suprà dictum est,
pag. 46.

Non credebant Reges terra] Amplificatio est V. 12.
ἀπὸ τοῦ ἀδοξου, ab inopinato, siue inexpectato:
quòd præter omnium etiam barbarorū Regum

opinionem id acciderit. Non parum mouentur animi narratione rerum omni opinione & expectatione maiorum. Cùm Deus esset propitijs populo, Iudæa erat multis Regibus formidabilis, vt legimus Psalm. 48. Magnus Iehoua, & laudandus valde in ciuitate Dei nostri, & monte sancto eius. Deus in palatijs eius agnitus est: Quoniam ecce Reges congregati sunt, transierunt pariter: ipsi viderunt, & sic admirati sunt: terri sunt, & festinauerunt. Tremor apprehendit eos ibi, &c. Nunc verò, inquit Ieremias, apparet, quam conuersa sint numina: quòd qui olim nostram gloriam & nostra ornamenta mirabantur, iam ad nostram calamitatem obstupescunt. Hæc autem ita fiunt, vt Deuteronom. 28. pactus erat Deus cum populo: si audiendo audieris vocem Iehouæ, venient super te omnes benedictiones, & intelligent omnes populi terræ, quòd nomen Iehouæ inuocatum sit super te, & timebunt sibi à te. Contrà si non obedieris voci Iehouæ, abducat Iehoua te & Regem tuum, quem constitues super te, ad gentem quam non nosti tu, & patres tui, colesque ibi Deos alienos: & eris in stuporem & parabolam & fabulam omnibus populis ad quos deducet te Iehoua, &c. Hæc dum scribo, non sine gemitu recordor florentissimarum & populosissimarum Ecclesiarum, quas memini me in Gallia in nobilissimis Regni ciuitatibus vidisse, ab anno 60. ad annum vlt; ferè 70. quarum certè primis illis præsertim annis tantum fuit decus, tanta dignitas,

*Ecclesiarum
in Gallia
lamētabilis
subuersio.*

gnitas, & frequentia, vt hostibus, ne per somnium quidem in mentem venire tum potuerit, fore vt tam citò prostererentur: tantus erat zelus, tantus concursus, tanta inter Ecclesias coniunctio: præsertim cum melior nobilitatis pars magna & incredibili cum alacritate, nomen Christo daret. At nunc quàm horrenda quæso, quàm terra, quàmque subita rerum omnium non tam commutatio, quàm subuersio apparet? non secus ac grauidæ sternuntur segetes, cum media æstate sæpe densi funduntur ab æthere nimbi. Vix ac vix quidem in primarijs vrbibus reperias aliquam Ecclesiam & superioris disciplinæ vestigium, miserè trucidatis optimis quibusque, alijs deuijs, & seruientibus dijs alienis. Sed an ideo animum pij despondere debent? Minimè certè. Nam vt paradoxo modo ad ultionem peccatorum, & castigationem Ecclesiæ accedit Deus: sic magis paradoxa & admirabilis esse solet eius liberatio: de qua psaltes Psalm. 126. Quando redire fecit Iehoua captiuitatem Sion, fuimus velut somniantes: Tunc repletum fuit risu os nostrum, & lingua nostra laude. Tunc dixerunt inter Gentes; Res maximas Iehoua egit cum istis, &c. Et Esa. 49. Sic dicit Iehoua redemptor Israelis, Sanctus eius, ad contemtibilem animam, ad abominatam Gentem, ad seruum Dominorum: Reges videbunt, & surgent principes; & adorabunt propter Iehouam, qui fidelis est, propter Sanctum Israelis, qui elegit te, &c.

V.12. *Propter peccata Prophetarum*] A causa remota, id est, ab ira Dei quam describit, descendit ad enumerationem causarum propinquarum calamitatis populi. Peccata autem, non in genere solum agnoscit & accusat: verum etiam gravitatem eorum ostendit, & species aliquot recenset. Tantam enim & tam projectam impietatem illis temporibus fuisse confitetur, ut degenerauerint omnes ordines, etiam qui sanctissimi esse solebant. Miserrimus ergo est status, cum magistratus & Ecclesiae doctores, qui bono exemplo alijs praerere & viua lex esse debebant, sese omnibus flagitijs palam contaminant. Nam ut ait Christus Matth. 5. ad discipulos & Ecclesiae doctores verba faciens, Vos estis sal terrae: quod si sal infatutus fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius nisi ut abijciatur foras, & conculcetur a quibusuis. Grauis etiam extat querela Ose. 4. & 5. de peccatis sacerdotum, & magistratum, quod cum eorum esset facere iudicium, insidiati sint vitae alienae, ut aucupes expansis retibus auibus insidiantur. Est ergo cumulus malorum, & iudicium propinqui interitus, cum ij qui architecti esse debebant, destruunt Ecclesiam; qui doctrina & exemplis instituere, nec sanitatem in doctrina, nec sanctimoniam in vita retinent. Nam fit etiam plerumque, ut quod maioribus donis praediti sunt viri clari, & Ecclesiae lumina, eò horribiliores sint eorum eclipses, & maiora dent damna, cum degenerant, & maiorem exercent crudelitatem: ut apud Ieremiam videre est, magis immanem

Ierem. 26.

nem

nem & implacabilem fuisse furorem falforum Prophetarum, quàm vel populi, vel Regis & magistratum: quod ipsum nimis, heu, nostri quoque temporis experientia confirmat.

Non erat ergo, inquit Ieremias, is populus, quem pax tranquilla iuaret, vt Lucani verbis vtar, in quo inter Prophetas & sacerdotes ipsos (quos κατὰ χριστικῶς ita vocat) iuris mensura, vis erat: qui que scelere & cæde pollutas manus habebant. vnde colligere licet, qualis fuerit plebs promiscua; in qua si qui etiam tolerabiliores erant, in eo tamen peccabant, quòd in Ægyptia-
 cis auxilijs plus spei & præsidij quàm in Domino collocarent. De statu illorum temporum maxime post mortem Manasse legimus in hunc modum, 2. Paralipom. 36. Omnes etiam principes sacerdotum & populus auxerunt præuaricationem, iuxta omnes abominationes Gentium, & polluerunt domum Iehouæ quam sanctificauerat in Ierusalem: & subsannabant nuncios Dei, & contemnebant verba eius; donec ascenderet furor Iehouæ, vt nulla esset curatio, &c. Talis ἐξομολόγησις siue confessio legitur apud Cyprianum lib. de lapsis: Quia traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem & penè dormientem, censura cœlestis erexit: studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent: insatiabili cupiditatis ardore, ampliandis facultatibus incubabant: Non in sacerdotibus religio deuota, non in mi-

V.17.

*Cypriani
querela de
suis tempo-
ribus.*

*Ergo hodie
shsl noui.*

psalm. 89.

nistris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina: odijs pertinacibus inuicem dissidere: Episcopi plurimi, quos & ornamento esse oportet cæteris, & exemplo, diuina procuratione cõtempta, procuratores rerum secularium fieri: derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari: alijs fundos insidiosis fraudibus rapere, vfuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpetitales pro peccatis eiusmodi mereremur? Cùm iam pridem præmonuerit censura diuina, & dixerit: si dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint; si iustificationes meas profanauerint, & præcepta mea non seruaerint: visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Haftenus Cyprianus. Illa sunt ergo peccata, quæ populos semper metlere, potentis & imminentis exitij signa fuerunt, cùm magistratus & doctores populorum omne ius vanae habuerunt, omnem pietatem exuerunt, & ita licentiosæ & dissolutæ vitæ occasionem alijs dederunt: vnde facile est colligere non procul à nobis abesse infortunium, cùm iam magna ex parte luminibus Ecclesiarum, & Rerum publicæ & ijs qui & crucem & varias tentationes experti erant in initio instaurationis euangelicæ extinctis, succedant oratores noui, adolescentuli: qui non ferre, sed inferre alijs crucem volunt, vt hîc Ieremiâs de crudelitate sacerdotum queritur: quam & Christus suo tempore Scribis & Pha-

Pharisæis exprobrat Matth. 23.

Vacillarunt cæci in plateis] Hi duo versus ha- V.14.
 bent aliquid obscuritatis, propter constructionem, & breuitatem linguæ Hebraicæ, quæ luxuriam verborum vitat. Plerique ex Hebræis iuxta literam hæc intelligunt de cæcis, quòd illi oberrantes in plateis impegerint in cadauera occisorum, & polluti fuerint sanguine; ita vt alij, quos illi cæci obuios habebant, occlamarint eis: *Discedite, nolite nos tangere: Quem sensum videtur sequi Tigurina versio.* Sed reliqui interpretes ferè omnes, Santes, Tremelius, Lutherus, & alij, quorum iudicium sequimur hoc loco, existimant cæcos vocari metaphoricè ipsos illos impuros & crudeles Prophetas & sacerdotes, qui excæcati à suis cupiditatibus, & furore cæci, per plateas seditiones excitarint, & cædibus ac sanguine se cruentarint: vnde factum est, vt ipsum vulgus profanum, aut (vt nonnulli volunt) ipsæmet Gentes, sacerdotibus illis sanguine contaminatis occlamarint, *Discedite, discedite: idque ritu legis.*

Non dubium est autem, quin sit hîc pulchra allusio in verbis Prophetæ ad exilium, quod tum patiebantur sacerdotes, & ritum legalem, quo polluti sanguine iuebantur secedere ab alijs: quasi dicat, verè iam segregati estis, & meritas datis pollutionis vestræ pœnas, qui iam euolastis, polluti & inter Gentes dispersi estis, vt Gentes ipsæ videant vobis Deum esse iratum. Cùm autè dicit Pro-

pheta *dixerunt, Non habitabunt amplius: non eripit spem reditus populo; sed agit de illis tantum nebulonibus, quos Deus ob crudelitatem puniebat: & loquitur iuxta sensum illorum hominum, & speciem quæ se tū offerebat. Erant enim omnia luctuosa & demersa in tenebris, ut vix spes vlla affulgeret instaurationis. Ideo cum Ezechiel cap. 37. consolari vult populum, & de reditu certiore facere, ostendit futurum tanquam resurrectionem è mortuis, & perinde ac si sicca ossa carne vestirentur, & afflarentur spiritu vitali. Ergo locus hic est satis planus, si mentem Prophetæ, & cohærentiam horum versuum cum superioribus, intueamur. Aliàs non nouum est, cæcos vocari in scriptura, eos quos malæ cupiditates occæcant, ut Esa. 42. Quis est cæcus nisi*

Cæci. seruus meus? vbi de Iudæis agitur: & Christus ipse Pharisæos cæcos & cæcorum duces vocat. Præterea tenendus est ritus legis; quæ nolebat morticinum aut sanguinem tangi: ita ab omni crudelitate voluit Deus suos absterrere. In primis verò sacerdotibus sanctimonia iniuncta erat, quos vel mortuorum exequijs interesse lex vetabat Leuit. 21. Adhæc ritu legis cautum erat, ut immundi, in primis leprosi, cum aliquē obuium haberent, de longè clamarent, immundus sum, immundus sum: ut videre est Leuit. 13. versu 45. vnde hanc phrasin mutuatur siue hunc loquendi modum quasi *μυμνῶν* Propheta Ieremias vers. 15. *Discedite, discedite, &c.*

V. 17. Adhuc oculi nostri deficiunt] Hyperbole egregia,

gia, vt Psalm. 69. Defecerunt oculi nostri ad Deum viuum: q. d. respeximus indefinenter, & quasi ad fatigationem vsque. Hic autem obseruanda est historia: Eo enim fuerunt ingenio Iudaei, vt ab Aegyptijs sepe opem & auxilium implorarent, & expectarint. Legimus quidem Ierem. 37. exercitum Pharaonis ex Aegypto egressum contra Chaldaeos, & urbem Ierosolymitanam ad tempus obsidione arctiore liberatam, ita vt falsi Prophetæ Ieremiae insultarent, & iam canerent triumphum ante victoriam. Caterum Domino certum erat punire populum; vt eodem capite grauis hæc extat Iehouæ cõminatio: Redibunt Chaldaei, oppugnabuntque ciuitatem hanc, & capient eam, & succendent eam igni: Ne ergo decipiatis animas vestras dicendo. Abeundo abibunt Chaldaei: non enim abituri sunt: Et licet percuteres vniuersum exercitum Chaldaeorum, qui oppugnant vos, incendetur tamen ciuitas, &c. Ita quoque testatur historia lib. 2. Regum, cap. 24. tantam fuisse potentiam Babyloniorum, vt Rex Aegypti postea domi se continere, suisque finibus contentus esse coactus sit. Interim incredibile est quàm seruiliter pependerit Iudaei ab Aegyptijs, & quoties sibi de Aegyptiacis auxilijs mira sint polliciti: vnde fit vt hoc nomine sæpe cum eis Prophetæ expostulent, vt Esa. cap. 30. Væ contumacibus filijs, qui roborant se robore Pharaonis & sperant in vmbra Aegypti: erit vobis illa fortitudo in pudorem & opprobrium, non in commodum: Certè Aegyptij vanitas: & frustra

auxiliabuntur. Propterea clamaui ad eos: Robur
 illorum quiescere. Et paulo post: Beati qui expe-
 ctant Iehouam, &c. Illam societatem cum Ægy-
 ptijs Dominus trib. potissimum de causis impro-
 babat. 1, ne ex cōsuetudine cum gentibus aliquid
 vitij & labis affunderetur populo: corrumpunt e-
 nim facilè probos mores colloquia praua: vt iam
 nimis fuerat populus in Ægypto corruptus, &
 Ægyptiaca allia desiderauerat. 2, quia fieri nō po-
 tuit, vt amicitia vera coalesceret inter eos: cū Æ-
 gyptij & iurati Iudæorū hostes semper fuerint, &
 ob Iudæos multa flagella perpeffi: sicut etiā Æ-
 gyptij & Ægyptiaca seruitus typus fuere regni
 Antichristi, & seruitutis Diabolicę. 3, illam cōfœ-
 derationē cum Ægyptijs improbat Deus, quia
 fiducia carnalis abducit nos à vera fide, qua in so-
 lum Deum recumbere debemus: qui est Deus
 Schadai, *au' Gapsus*, & omnipotens: in quo habemus
 omnia necessaria. Ideo rectè & piè David Psalm.
 73. Quis est mihi in cælo præter te? & tecum no-
 lo quenquam in terra, &c. Quàm ergo turpe,
 quàm absurdum, quàm impium, malle diuini fa-
 uoris iacturam facere, quàm Ægyptiacæ fumosæ
 & fucatæ amicitia. Errant igitur illi quoque qui
 sinceram beneuolentiam ab infidelibus & hosti-
 bus Ecclesię expectant, vt hodie multos, licet sæ-
 peictos, sæpe deceptos, ita infatuatos & mente
 captos videmus, vt vel in peregrino & mercena-
 rio atque etiam profano milite, vel in fœderibus
 insidiosis cum Pontificijs, omnem Ecclesiarum
 incolumitatem collocent, non animaduerten-

tes

tes quantum humanis praesidijs tribuimus, tantum Deo detrahi: & Ecclesiae liberationem esse peculiare & proprium Dei opus, in quo solus agnosci, solus eminere, solus laudem omnem obtinere velit. Dominus certe populo suo subinde in illis praesidijs Aegyptiacis acquiescenti, ita succenset, ut Ezech. 23. eos hoc nomine incontinentissimae & spurcissimae foeminae comparet, quae furiosa intemperie non hominum solum, sed & equorum & asinorum concubitus expetat.

Etsi igitur medicina non vult contemni Deus, cum ea offert; non vult nos tamen illicitis & prohibitis uti medijs, quibus nunquam benedicit: nec vult nos in medijs spem ponere; sed in eo, in cuius est manu, & medicina dirigere ac secundare, & sine medijs nos iuuare. Huc accedit, quod non ita crucem Christiani fugere debent, ut multi hodie, quibus intolerabile videtur, si aliquid ab aduersarijs ferant, cum non sit minima pars nostrae *κοινωνίας* cum Christo, aliquid pati pro nomine eius: & ut testatur Tertullianus ad Scapulum; haec secta Christianorum magis aedificatur, cum caeditur.

Velociores fuerunt aquilis caeli] Hyperbole: magna est aquilarum pernitas & velocitas; de qua Aristoteles lib. 9. Historiae animalium: volant (inquit) maximè sublimes, unde haec sola avis diuina vocatur, ut eam Ieremias aquilam caeli, ob illum sublimem volatum, nominatim vocat. Quam velociter Regem fugientem persecuti sint Chaldaei, vide Ierem. 39. 5.

Spiramentum narium nostrarum, Christus *Je. v. 20.*

houa] Dicitur est in *περλεγομένοις*, & in argumen-
 to capitis huius: locum hunc à nonnullis referri
 ad Iosiam, cùm tamen omnes circumstantiæ ar-
 guant de Zedechia rege accipiendum. Nec no-
 uum est in scriptura præclaris elogijs insigniri et-
 iam reges malos, vt de Saule, & alijs videmus,
 quos scriptura Christus Domini vocat: quia ni-
 mirum respicit non in personas, sed in munus &
 vocationem. malitia enim alicuius regis non de-
 bet aliquid detrahere dignitati illius ordinis, &
 functionis: sicut malitia & peruersitas multo-
 rum coniugum, nihil debet derogare ordinatio-
 ni sanctæ coniugij. Deinde nominatim posteris
 Davidis & Regibus ex illa prosapia oriundi ti-
 tuli honorifici tribuuntur; quia Christus ex illa
 familia natus est secundum carnem: & Reges il-
 li typus aliquis facere Regni Domini nostri Iesu
 Christi. Historiam de Zedechia Rege in fuga
 capto habemus 2. Regum cap. 25. Talis ferè fuit
 exitus Constantini Palæologi, vltimi imperato-
 ris Constantinopolitani, qui in fuga perijt, cùm
 Mahometes secundus urbem aliquandiu oppu-
 gnatam expugnasset anno 1453. Sed Zedechiæ
 casus miserior fuit, quia in eius conspectu terribi-
 li laniena trucidati sunt filij eius cum tota nobi-
 litate; ipsi autem oculi eruti, durissimisque (æreis
 nimitum) catenis constrictus in Babylonem ab-
 ductus fuit, seruatus nimirum ad pœnas & vitæ
 statum quauis morte duriozem. Hæc fuit pœna
 rebellionis, primùm in Deum, deinde in Regem
 Babyloniorum, cui fidem datam non seruarat.
 Ideo

Ideo eum nulla fuga iuuit, nullæ latebræ tegere potuerunt, cum à Deo irato ad pœnas exoptaretur. Deus enim non tenetur seruare fidē fœdī fragis: sed honorat honorantes se, & vnctos suos tum Reges tum Sacerdotes præcipuo fauore tum demum complectitur, eosque tangi vetat Psalm. 105. quando osculantur filium, & Deum colunt, vt Reges grauissima oratione hortatur *Psalm. 2.* David: aliàs æquè in illos atque alios exardescit ira Dei, qui non est *θεοπολιτής*, vt testatur Psalmus 82. & verè canit Horatius:

*Reges in ipsos imperium est Iouis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio mouentis, &c.*

Cæterum obseruandum est, à Ieremia taxari nimiam fiduciam, quam in Rege Zedechia ponebant Iudæi, sub cuius vmbra se requieturos sperabant. Nam etsi magna beneficia per pios Reges nobis communicantur, sicut temporibus Salomonis vnusquisque sub vite & ficu sua tranquillè degebat, & Danielis cap. 4. proceræ & vastæ arbori, cuius vmbra varia animalia tegantur, Nabuchadnesar assimilatur: magnum tamen est discrimen inter pios Reges, & apostatas, qualis erat Zedechias. Et nihil inanius & mutabilius esse homine, vel illa duo exēpla Salomonis & Nebucadnezar luculenter testantur: ita vt semper eius memores nos esse deceat, quod nobis occidit David Psalm. 33. Beata gens, cuius Iehoua Deus est: Non saluatur Rex in multitudine exercitus, nec potens multitudine potentiæ. Facit hæc

Ieremiæ querela de Rege capto, à quo populus totus pendeat, vt recorder recentium historiarum & nostrorum temporum, quibus vidimus primùm tempore belli Protestantium duos illos summos Heroas quorū auspicijs militabant Euangelici, quosq; meritò tota reuerebatur Germania, ab Imperatore Carolo captos: Ioã. nimirum Fridericū Saxoniz Ducem, & Lantgrauium Philippum. Deinde vidimus, heu, in Gallijs, duos illos fortissimos Ecclesiarum patronos, Principem Condæum Ludouicum & Amitalium Colignium, crudeliter ab hostibus interfectos. quibus exemplis docemur, tutissimum esse illud perfugium, de quo David Psalm. 57. Misere mei Deus, quoniam in te sperat anima mea, & in vmbra alarum tuarum, donec transierit contritio.

Non ergo in typicis Christis, & Regibus, non in filiis hominum; sed in vero & omnipotente Christo, Domino & seruatore nostro Iesu, vera quies, vera salus quærenda est.

PARS TERTIA ET VLTIMA
capitis quarti.

Versio.

Paraphrasis.

SCHEIN. 21. GAUDE & lætare
filia Edom: ô tu quæ
habitas in terra Vz,
etiam ad te veniet cali-
x: inebriabis te, &
audabis te.

SED heus tu, ô Urbane Idumæo-
rum popule, terram Vz incolens,
gaude tu quoque, & luxuriante
sis animo: quia te nunc quoque
ordo tangit: & tibi de suo illo ca-
lice miscabit, & propinabit Ieho-

1168

ua: le quo largiter, & ad dementē ebrietatem & ſque potabis, teque turpiter dabis.

22. Consumta iniquitate tua, o filia Sion, non te deportabit amplius: ſed viſitabit iniquitatem tuam filia Edom, & peccata tua reteget.

Nam tu quidem, o Sion, tuas iam ob peccata exhaustiſti pœnas: ut tibi in poſterum noua non ſint metuenda exilia: ſed deinceps in vos, o Idumæi, animaduertet Deus, & tot tetra peccata, quæ ſel ipſum latere, ſel ita ſemper laturum putabatis, reſecta vindicabit.

OBSERVATIONES.

TERTIA hæc & vltima capitis pars, eſt apoſtrophe ad hoſtes Eccleſiæ, præcipuè ad Idumæos, coniuncta cum ſarcaſmo: & prædicens illis interitum. Nonnulli interpretes putant nullam eſſe ironiam, ſed hunc eſſe ſenſum: vos nunc Idumæi noſtris quidem malis gaudetis & lætamiſi, ſed ad vos etiam calix perueniet. Verùm magis conuenit cum textu, & maiorem habet emphafiſi, ſi dicamus, Prophetam, mordaci ironia proponere Idumæis rerum viciffitudinem: q. d. Ne putetis Sionem ſolam potaturam de calice Domini: vobis quoque ſimile apparatus conuiuium, &c. Tales rerum vices deſcribit Obadias verſ. 16. & 17. Quemadmodum bibiſtiſi in monte ſanctitatis meæ, bibent omnes Gentes iugiter: bibent & abſorbebunt, eruntque ac ſi non fuiſſent: in monte autem Sion erit euafio. & Micheæ 7. Ne læteris inimica meâ quòd cecidi, ſurgam enim ruruſus: ſi ſedero in tenebris, I. ho-

ua lux mea erit: iram Iehouæ feram, quoniam peccaui ei, donec iudicet causam meam, & faciat iudicium meum; educet me in lucem: videbo iustitiam eius: & aspiciet inimica mea, & operiet eam pudor, quæ dicebat ad me, ubi est Iehoua Deus tuus? oculi mei videbunt eam, & erit in conculcationem, velut lutum platearum, &c.

*calix quid
significet.*

Phrasis autem in scripturis vsitatissima, pulcherrimaque calicis, quem Deus propinat, allegoria consideranda est. Psalm. 75. Calix in manu Iehouæ, & vinum, quod in eo est, rubet: effundit ex hoc: utique feces eius sugent, & bibent omnes impij terræ.

Frequens est in scripturis, vt per calicem certa portio à Domino designata significetur: quemadmodum patres familias liberis & famulis suis certam mensuram certumque demensum porrigunt. Vnde illa Phrasis Psalm. 16. Iehoua pars portionis meæ, & calicis mei, &c. Deus igitur omnibus hominibus suum calicem suamque mensuram afflictionum distribuit: sed diuerso modo: nam pijs afflictiones cedunt in gaudium, medicinam & salutem: sicut haustus vini suo loco & moderatè sumtus exhilarat, & roborat: Impij autem feces sugunt, inebriantur, turbantur calice Domini: vt hîc de Idumæis scribitur, fore vt ebriorum instar nudentur: quod accidit Noe ebrio, vt turpitudinem nudaret, Genes. 9. Sed alludit etiam fortè Ieremias hoc loco ad id quod cap. 49. prophetiæ vers. 10. contra Idumæos pronunciat Deus: Ego discooperio Esau, retego
abscon-

abscondita eius, & occultari non poterit, &c. & paulo post: Quomodo esses immunis Edom, cum immunis non fuerit populus meus? Certè tu calicem bibendo bibes, &c.

Quæritur autem cur Idumæos nobis proponat scriptura, tanquam summos hostes Ecclesiæ, cum ex patribus orti essent? Esau enim qui Edom vocatus est, id est, rufus, quia cum pulmento rufo commutauit primogenituræ eius, Genes. 25. frater fuit Iacobi ex Isaac prognatus. Cause in Obadia & Psalm. 137. inueniuntur: quia nimirum non solum secessionem fecerant in montem Seir, & à vero Dei cultu defecerant: licet quædam ipsis adhuc superessent vestigia Religionis: verum etiam audacia, superbia, & proteruitia summa præditi erant: fratribus summissè & amanter transitum petentibus per terram eorum inhumaniter denegarant, & Iudæis afflictis atrociter *Num. 20.* semper insultarant, calamitatesque eorum acerbiores reddiderunt suis sannis & contumelijs. Nec dubium est quin familia Esau in scripturis sit typus Antichristi, qui ex Ecclesia exijt, & sub nominis Christiani titulo Christum & Ecclesiam crudeliter persequitur.

Habitans in terra Huz] Huz fuit filius Aram & nepos Sem, à quo Aram Aramæi, id est Syri, quibus vicini erant Idumæi, in Trachonitide: quæ est terra Huz, patria, vt multi existimant, Iobi.

Completa est tua iniquitas] Heb. *Tam*: quæ dicitio Hebræis non solum perfectionem, sed etiam consumptionem & finem significat: non quasi

nullæ superessent iniquitates, sed quòd consumpta essent illa iudicia quæ tunc Dominus exercere decreuerat. Expletis enim & finitis 70. annis satisfactum fuit iræ Domini: nec ab eo tempore in aliud exilium totus populus missus est, donec tandem, ob non agnitam diem visitationis, funditus deleta est à Vespasiano & Tito illa vrbs, & euerfa tota eorum politia. Similis ferè locus extat Esa. 40. Consolemini, consolemini populum meum, quòd completum est tempus eius, remissa iniquitas eius, &c. Meminerint ergo populi qui hodie siccis oculis & cum magna securitate intuentur lamentabiles ruinas & desolationes Belgij & Galliæ, non illis populis solis Deum iræci, nec semper fore vt requiescat ira Dei in illas Gentes: sed vbi suum calicem exhauerint, Deum vicinos quoque, eos præsertim qui vel insultant, vel se procul à telorum iactu abesse sibi persuadent, visitaturum, & in eorum scelera, & contemptum Euangelij tam tetrum, tam manifestum, animaduersurum: quia, vt suis sæpe inculcare solebat Constantinus Magnus, omnes actionum suarum, & suæ administrationis rationem Deo reddere oportet. Quod Homerus ipse Odyss. v. agnouit, dum sic scribit:

Ζεὺς σφέας πᾶσι τε ἰκετήσιος, ὅστε καὶ ἄλλους
 Ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ πᾶντα ὅς τις ἀμάρτη.
*Jupiter ipsos ulciscatur deprecabilis, qui & alios
 Homines inspicit, & plectit, quicumq; peccant.*

Locū

*Ensch. de Vi-
 ta Constan-
 tini lib. 4.
 cap. 29.*

*Loci præcipui capituli 4. quos in observationibus
summatim pertractauimus.*

De præcipuis ornamentis Rerum pub. I.
De inclytorum virorum tristi sæpe conditio- II.
ne & exitu.

De gradibus pœnarum: Vnde apparet diuer- III.
sos etiam peccatorũ esse gradus. Queritur enim
populus pœnam suam grauiorem esse pœna So-
domitarũ: i, quia in manus Dei incidere tolerabi-
lius videtur, quàm in manus hominum, vt David
testatur 1. Samuel, 24. Deinde, quia minùs graue
putamus id quod non diu durat, quàm longas &
diuturnas pœnas, que nos lenti ignis instar confi-
ciunt iuxta illud Ouidij:

Et grauior longa sit mea pœna mora.

Quanquam alias in scripturis Sodoma & Go-
morrhæ subuersio, tanquam illustre specimen ire
Dei in reprobos proferri solet, vt Esaiæ 13. Erit
Babel decor regnorum, instar subuersionis di-
uinæ in Sodoma & Gomorra. Et Esa. 34. cum
Idumæis grauissima pœna denunciatur, ita dicit
Dominus: Conuertentur flumina eius in pi-
cem, & puluis eius in sulphur: eritque terra
eius in picem ardentem: noctu & die non extin-
guetur, perpetuò ascendet fumus eius, &c. sicut
videlicet in subuersione Sodoma & Gomorrhæ
accidit. Et in epistola Iudæ vers. 7. Sicut Sodoma
& Gomorra & his finitimæ ciuitates simili modo
atque illæ scortatæ & carnẽ alienam sectatæ, propo-
siti sunt exẽplo, ignis eterni pœnã sustinẽtes, &c.

Sed Ieremias in Lamentis nō simpliciter confert pœnam Israelitarum cum pœna Sodomitarum qui funditus perierant, cū Israelitarum semen superesset; sed secundum quid, nempe ratione durationis pœnæ temporalis.

- IIII. De Nazaræis: qui ordo Basilij tempore adhuc observabatur: & huic affinis erat ordo Ascetarū, cui Basilus quoque nomen dederat. Cum illis ordinibus nihil habet hodie commune ordo Monasticus: quia illi homines in pietatis & virtutis veræque sanctimonix studijs se exercebant, non autem erant telluris inutilia pondera, & ventres pigri, quales plerique monachi.
- V. De malo famis: quæ vnum est ex grauissimis Dei flagellis, & vel mitissimis matribus nonnunquam omnem σαρξιν eripit.
- VI. De iræ Dei magnitudine, & horrendis ac inopinatis eius effectis.
- VII. De signis interitus regionum: & quàm graua sint magistratum, & Doctorem Ecclesiæ peccata.
- VIII. De inani fiducia in præsidia humana.
- IX. De fine & periodo Imperiorum & Regnorum.
- X. Nec optimis quidem principibus fidendum, multo minùs impijs: cū nihil sit tam imbecillum, nihil tam εὐμετέβολον, quàm homo.
- XI. De rerum vicissitudine: & pœnis grauissimis hostium Ecclesiæ.

CAPVT V. ET VLTIMVM.

Argumentum capitis.

CAPVT hoc vulgò ORATIO Ieremie vocatur, quanquam argumento non multum à præcedentibus differt, & lamentationum quasi *αιαυαφθγαιωσις* esse videtur: nisi quòd hic cessat ordo ille Alphabeticus, qui supra obseruatus fuit. Deinde incipit & finit per precationem: unde factum est ut hunc titulum apud plerosq; obtinuerit, quòd videlicet sit ORATIO, siue precatio, qua Lamentationes suas claudat Ieremias. Etsi enim, ut supra monuit, Domino deliberatum erat furorem suum implere, & populum Babylonij vexandum tradere: editum tamen fuerat oraculum de liberatione, quod his verbis extat Ieremie 29. *Vbi impleti fuerint in Babylone 70. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos sermonem meum bonum, & reducam vos ad locum hunc: & inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me, & exaudiam vos, etc.* Docet ergo nos Ieremias in summis etiam calamitatibus non esse despondendum animum, sed sacram illam anchoram diuinarum promissionum & spei, quam Apostolus Hebr. 6. tutam & firmam anchoram vocat, arripiendam. Illam arripiebat Ezechias in summis angustijs, cum auditis blasphemijs illius impuri Rabsacæ legatos ad Esaiam mittit, & petit ut leuet ad Deum orationem pro reliquijs, id est, ut serio ardore & affectu oret, quemadmodum legimus Esa. 37. Ita & Propheta Habacuc prophetiam suam cap. 3. pia et ardenti precatione concludit: Nam cum per Dei reuelationem audiuisset,

multas calamitates populo euenturas; tum suo, tum aliorum fidelium nomine seipsum coram Deo, tanquam coram iudice sistit, & orationem fundit, qua populo afflicto formula & exemplaris loco esset. Verissime enim ab ethnico Poeta dictum est:

Flectitur iratus voce rogante Deus.

Et pie D. Ambrosius dicere solebat, lacrymas & preces vera esse arma Episcoporum, qua multis tyrannis formidabilia saepe fuerunt.

Capitis porrò quinti Lamentationum siue orationis Ieremie, quam populo in captiuitate constituto dictauit, partes tres potissimum agnoscuntur. Prima pars versibus quindecim primis, tota consumitur in propositione & explicatione calamitatis, qua Deum ad misericordiam flectere vult: non quòd Dominus miseras nostras ignoret, sed quia eas à nobis vult agnosci. Vt autem sibi beneuolentiam conciliet, populum comparat pupillis & viduis, quia huiusmodi commiserationem merentur, & Deo in primis cure sunt: illisq; male fieri in lege vetat. Illa est prior amplificatio qua utitur, ducta à personis pupillarum & viduarum, quibus populum assimilat: Altera est ducta à praestantia rerum amissarum. Queritur enim de nobilissima possessione amissa, & barbaris gentibus tradita, item de extrema inopia: vita enim periculo victum esse populo querendum, & ut est malesuada fames, impulsos ait inopia Israelitas contra officium manus dedisse Aegyptijs, & Assyrijs, eisq; supplices esse factos: igitur copia paupertatem, libertati seruitutem tristem successisse, & quod luctuosissimum erat, nullam aetatem, sexum nullum,

euetero. 16.

24.

nullum, nullum ordinem illam miseriam effugere potuisse.

Sed hic quæri posset, an Ieremias legitimum ora- Questio.
tionis seruet ordinem, quod ita statim exordium fa-
cit à petitione, & petitione quidem rerum tempora-
lium. Aliter enim videtur nos D. Basilius de recta o-
randi ratione instituere in libro suo de vita solitaria
his verbis: Precationis duo sunt modi: unus est quo
glorificatur Dominus cum animi humilitate; alter
est quo petitio subijcitur. Cum ergo precaberis, non
statim ad petendum prorumpe: alioqui prodis animi
tui affectum, tanquam qui necessitate coactus ores ad
Deum. Oraturus igitur relinque te ipsum, uxore, li-
beros, desere terram, transcende cœlum, & ordine à
glorificatione eius qui omnia condidit. Vbi autem
Deum glorificaueris à bonitate, potētia, maiestate, &
tuam insufficientiam & indignitatē agnoueris; tum
deinceps pete quod petendū est, &c. Et rectè quidem
Basilius: quia similem ordinē nos ferè docuit optimus
orandi magister Christus in oratione Dominica. Sed
responsio facilis est, Deum nō tam eum ordinem qui
est in verbis, quàm eum qui est in corde, respicere. Et
iam satis saepe audiuius à Ieremia laudem debitam
Deo tribui, iustitiae, bonitatis, potentiae, ut de eius ani-
mo dubitari non possit. Præterea discrimen est inter
artificiosas preces, & eas quas D. Augustinus ali-
cubi vocat eiaculatas, quas vel zelus aliquis, vel gra-
uis dolor nobis exprimit.

Alterum caput orationis Ieremie est agnitio in-
genua peccati, versu nimirum 16. Væ, quia pecca-
uimus, &c. Et ex hoc loco explicandus est locus qui

Locus Ger-
sus 7. expli-
catus.

est versu septimo, Patres nostri peccauerunt, & non superunt; nos verò pœnas peccatorum eorum ferimus, &c. Videtur ibi murmurare Propheeta, quasi immeritò delicta maiorum luant: Sed cum versu 16. componitur cum versu septimo, apparet illum nihil aliud dicere, quàm quod Daniel cap 9. Peccauius nos & patres nostri. Phrasium ergo obscurarum in scripturis sensus ex circumstantiis primùm, deinde ex toto contextu, & ijs quæ sequuntur, eruendus est. Propheeta Ezechiel cap. 18. non ex sensu suo loquitur, sed ex sensu Iudeorum dicentium: Patres nostri comederunt vuã acerbam, & dentes filiorũ obstupuerunt, &c. quibus verbis Deum crudelitatis & iniustitiæ insimulare volebant. Propheeta Jeremias autẽ hoc loco amplificat calamitatẽ a diuturnitate: quod durent adhuc pœne, quibus maiores fuerãt affecti: & sic viuorum deterior ferẽ sit conditio, quàm mortuorum. Iustas autem esse pœnas agnoscit versu 16. Ergo utrumque verum est: Filium nõ portare iniquitatem patris, quia filij etiam peccarunt, & eandem habet causam Deus filiorum puniendorum, quàm patrum: & hoc vicissim verum est, ferre filios pœnas parentum, & propagari maledictionem saepe in tertiam vsq; generationem. sed id iustissimo iudicio: & quia similibus peccatis similes debentur pœnæ: nisi cum Deus ex mera gratia aliquem pœna eximit. Nihil itaq; minus Ieremia propositum est, quàm ut blandiatur populo, quẽ ille, si ullus Propheeta unquam, seriò semper coarguit: tantum abest ut peccata extenuarit. D. Hieronymus in illud Eccle. Verba sapientum aculeis aut stimulis
similia.

Verba sa-
pientum.

similia sunt: Nota (inquit) verba sapientum pungere, non palpare: tardis & segnibus pœnitentiæ dolores & vulnus insigere: si cuius sermo non pungit, sed oblectationem facit, talis sermo non est sapientis, &c.

Tertia pars capituli à versu 19. vsq; ad finem est petitio vel obtestatio, duabus constans partibus: quarum altera est illa Dei glorificatio & elogium, de quo supra ex Basilio dictum est: altera habet petitionem.

Accedentem ad Deum omnino oportet honorifice de eo sentire: Ideo v. 19. Dei maiestatem predicat ab æternitate & firmitate: estq; ibi antithesis throni Dei æterni, & thronorū terrenorum, atq; adeò ipsius Hierosolymitani templi, quod incensum erat: cum interim Dei solium integrum maneret: q. d. Ieremias, certum est te Deum esse omnipotentem, & euertere non posse thronū tuum, etiam si fractus illaberetur orbis: et nunc dirutū iaceat in terris templum illud typicum: Tu is es qui in solio perēni potenter & perpetuò regnas, ideò satis tibi roboris est ad tuos liberandos. Totā vis autem argumēti est versu 20. in pronomine Nostri: Cur obliuisceris nostri? Hoc est enim argumentū Prophetæ, quod syllogismo breui comprehendemus: Omnis dominus seruos suos tueri tenetur: Nos sumus tui: Ergo nos defendere debes. Ad maiore poterat responderi: tenetur dominus suos tueri, si potest: nā ad impossibilia nemo obligatur. Atqui inquit Ieremias, potes, quia solium tuum æternū est. Contra minorem si quis obiecisset: sed vos non estis serui Dei, cum sitis peccatores: Imò, quia fœdus est gratuitum, Psal. 79. Sumus oues pascuæ tuæ: & Psal. 102. propter illam κοινωνίαν fidelium cum Christo, statuit & con-

cludit Propheta, ut aeternum est Dei solium, sic semen Ecclesiae conseruatum iri.

Sequitur v. 12. petitio: Conuerte nos, & conuertemur. Sic legunt Vatablus quoque, & Santes: & vulgò intelligitur hic locus de pœnitentia & conuersione ad Deum, in qua sententia est cum Hieronymo Balingerus. unde doctrinã piã eliciunt contra Pelagianos: cõuersionem nõ esse in manu nostra, sed opus Dei: ideo serijs gemitibus a Domino petendam esse veram conuersionem, cõtra illud quod inconsideratè ab

Lib. I.

Horatio in epistola ad Lollium dicitur:

Sed satis est orare louem, qui donat & aufert,
Det vitã, det opes: æquum mĩ animũ ipse parabo.
Ille inquam sensus huius loci pius est: sed non satis videtur cõgruere cum scopo Propheta: nõ quia sequitur statim in textu, in noua dies nostros, videtur potius Ieremias de renouatione status, quàm de renouatione cordis hoc loco agere. Nostri recentes interpretes legunt, Restitue nos Iehoua tibi, vt reuertamur. Sic Psal. 80. ò Deus restitue nos, q. d. Tu solus es, qui captiuitatem nostram conuertere, & captiuos liberare potes. Est enim phrasıs nota Psal. 126. & alibi: Conuersio nimirũ captiuitatis pro reductione in terram sanctam, & restitutione in integrum. Eunde sensum putant esse nostri recentes interpretes, eius loci qui est Ieremia 31. Castigasti me, & castigatus sum sicut vitulus nõ assuetus: Conuerte me & cõuertar: quoniam tu es Dominus, &c. Hec in quã de instauratione populi dici possunt: quanquam in eo loco propter circũstantias alias, crediderim potius de cõuersione cordis agi: qua in sententia est & Calvinus, & sunt pleriq; interpretes. Paulo antè. n. egit ibi de reditu ad termi-

Phrasıs.

nos: & postea castigationum mentionem subiungit, quarum finis sit ut erudiamur, & conuertamur ad Dominum. Interim frustra castigari, nisi Dominus ipse conuertat nos, & det cor pœnitens, &c. Hic inquam videtur esse sensus illius loci.

Sed iam de argumento capitis quinti satis: quod ideo vberius pertractare volumus, ut in conspectu haberemus totam Ieremie orationem, & quia his ita cognitis & monstratis postea longa repetitione longisq; observationibus opus non erit.

Versio.

Paraphrasis.

- | | |
|--|---|
| 1. RECORDARE Iehoua, quid acciderit nobis: intuere & aspice opprobrium nostrum. | AH clemētissime Iehoua, cui nihil est obscurū, nihil nō patens, liceat tamen nobis afflictissimis, has fundere preces, quas sensus doloris nostri grauissimi nobis extorquet, Et nimirū casus nostri memor esse Velis: Velis & vultu benigno nostra respicere opprobria. Cap. vi |
| 2. Possessio nostra versa est ad extraneos, domus nostræ ad alienigenas. | Irruit enim ecce Gens barbara, gens ferox in possessiones auitas: et dilectis extrudimur ex domibus. |
| 3. Pupillifumus absq; patre, & matres nostræ sicut vidua. | Similes, heu, sumus pupillis patribus orbatis: matres nostræ sicut viduarum instar squalent. |
| 4. Aquas nostras pecunia bibimus: ligna nostra pretio veneunt. | Aquam ipsam & ligna in summa egestate pretio redimere cogimur. |
| 5. Super collum nostrū persecutionē passi sumus, laboram⁹, nō permittitur quies nobis. | Cervicibus nostris dura incumbit seruitus, Et nec vlla laborantibus quies, nulla concedatur relaxatio laboris. |
| 6. Ægyptio dedimus manum & Assyrio, ut fatiaremur pane. | Ita nos dira fames urget, Et hostibus ipsis, ipsis Ægyptijs & Assyrijs, auidas cibi, supplicesq; porrigamus manus. |

7. Patres nostri peccauerunt, & nō supersunt: nos verò pœnas iniquitatum eorū ferimus.

8. Serui dominantur in nos: nec est qui alle-
rat è manu eorum.

9. Periculo vitæ nostræ afferimus panem nostrum, propter gladium deserti.

10. Pelle nostræ tanquam clibanus atratæ sunt, propter ventum exurentem famis.

11. Mulieres in Sion oppresserunt illi, virgines in ciuitatibus Iuda.

12. Principes manu istorum suspenduntur: facies senum non afficiuntur honore.

13. Iuuenes ad molendum portant, & pueri in ligno corruūt.

14. Senes è porta cessant; iuuenes à modulatione sua.

15. Cessauit gaudium cordis nostri: versus est in luctū chorus noster.

O longam malorum seriem: quòd hæ pœna, hæc mala, à maioribus ad nos continuata propagantur.

Seruorū & abiectissimorū quorūq; impotēs patimur imperium nullo nos ab eorū vindicāte manu.

Vitæ nostræ periculo victum hinc inde conquirimus, nusquam tuti ab hostili gladio.

Cutis nobis furno nigrior est, ita nos picei turbinis instar atram te fame.

Mulieribus in Sion, virginibus in Iuda vis allata est.

Nulli parcitur ordini, nulli ætati: nam principes ipsi infelicibus suspenduntur arboribus: nulla est senilium personarum reuerentia.

*Adolescentes in pistrinū ad ver-
sandas molas rapiuntur: infirmis pueris graui a lignorum onera imponuntur, sub quibus succubunt.*

Non amplius in curijs senes cōspiciuntur, non suavis iuuenum auditur modulatio.

Ita iam cessat omnis voluptas: neq; iam choros, sed alta ducimus suspiria.

OBSERVATIONES IN PRIMAM partem.

V. 1. RECORDARE] Hieronymus rectè monet indignum esse tribuere Deo obliuionem: sed hîc esse τραπολογία iuxta sensum nostrum, non iuxta Dei

Dei naturam vsurpatam.

Possessio nostra] Hæc verba habent emphasin. *V.2.*
 Nam licet Deus solus vera & perennis hæreditas
 & possessio nostra censi debet, vt David Psal.
 16. profitetur: Ieremias hîc tamen respicit ad ter-
 ram illam sanctam Abrahæ & eius posteris pro-
 missam, & in quam singulari priuilegio, in signib.
 miraculis, Deo duce & auspice introducti fuerât:
 quæ pignus erat & symbolū diuini fauoris æter-
 næq; & incōmutabilis hæreditatis. Nos autē pul-
 chrè monet Apostolus, vt nos, inquam, Christia- *Heb.12.*
 ni, sub Christo Regnū assumamus, quod cōcuti
 non potest, amplexantes gratiam in Euangelio
 oblatam. omnia enim terrena caduca sunt, & ali-
 quādo deserenda, vt Romanæ fidicē lyre monet.

Linquenda tellus & domus & placens

Vxor: neq; harum quas colis arborum

Te, præter inuisas cupressos,

Vlla breuem dominum sequetur.

Dedimus manum] Latini etiam simili phrasi *V.6.*
 vtūtur: victas dare manus. Vatablus hoc intelligit
 de fœdere, quòd dextras dederint Ægyptijs: sed
 nō conuenit, quia idē de Assyrijs dicitur: & hîc est
 querela de summa miseria. Meliùs ergo supplices
 facti sum⁹, yel mēdicorū instar man⁹ porreximus.

Patres nostri peccarunt] De sensu huius loci di- *V.7.*
 ximus in argumento.

Serui dominati sunt] Id solet victis accidere, vt *V.8.*
 cogantur etiam vilissimorum seruorum imperio
 subijci: quæ seruilia imperia durissima sunt. Plus
 enim clementiæ in ipsis dominis, quàm in feris

illis mancipijs reperiri solet: Ideo sæpe ita lamentatur Cicero: dominum ferre noluimus; cõseruo seruimus. Cùm igitur à Babylonijs subacti essent Iudæi, oportuit eos non solùm Regis, sed seruorum & præfectorum imperia ferre. Verissimum quippe est quod Iuuenalis scribit:

Maxima quæq; domus seruis est plena superbis.

V.9. *A facie gladij in deserto*] Nonnulli terrã ipsam ob eam quæ tum erat calamitatẽ & vastationem, desertum vocari putant. Scripturæ autem familiare est, vt omnia loca minùs culta desertum vocet. Et videtur hîc Propheta amplificare miseriam populi, quòd in illa fame & inopia nõ graue fuisset per syluas, & loca etiam auia & inculta vagari, & aliquid cibi quærere, nisi omnia armato milite completa fuissent, à quo non minùs quàm à fame sibi metuebant omnes.

*Desertum
quid.*

V.13. *Adolescentes ad molam*] Durissimus fuit labor, & vilissima opera: vnde hæc phrasis Exod. 11. Morietur omne primogenitum ab eo qui est in solio, ad eum qui ad molam.

V.14. *Senes a porta*] Mirè seruat Ieremias τὸ ἀπέρον, dum singulis tribuit conuenientia. Senum enim, vnde Senatores appellati sunt, est sedere in consilio, in curijs. Apud Iudæos autẽ reddebatur ius in portis ciuitatum. Iuuenibus tribuit Musicam, à qua senes sunt alieniores, vt agnoscit senex ille Berezellai, cùm vocatus in aulam Dauidi respõderet: octoginta annorum sum hodie: num audiam ultra vocem cantorum, & cantatricum? Non frustra autem inter alia signa iræ Dei, & summæ deso-

1erem. 17.

Sam. 19.

desolationis, numeratur hoc à Propheta, quòd nulli ordines faciant officium: quia vt graue est cùm vel sol vel luna lumen non suppeditant, ita grauissimum est cùm non conspicitur ordo con-
 fuetus in Rebus publicis, qui in eo positus est, vt quisq; faciat in Repub. quæ sui sunt officij, & quæ ætati & vocationi congruunt. *Musica.* Musica etiam suus est vsus: & hoc nobis libenter Deus optimus indulget, vt honestè lætemur, modò seruemus modum. Ideo Deus per Prophetas liberationem populo promittens etiam hoc addit: Adhuc exau- *Ierem. 33.*
 dietur in loco hoc vox gaudij, & vox lætitiæ, vox sponsi, & vox sponsæ, &c. At verò cùm populus suo otio abutens in securitatem degenerat, seseq; totum, Deo contempto, voluptatibus immergit: Musica modulamina vertit Deus in planctum, vt Amos 8. dicit Dominus: Conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnes cantiones vestras in lamentationem, faciamque ascendere super omnes lumbos saccum, &c.

ALTERA PARS CAPITIS V.

Versio.

Paraphrasis.

16. CECIDIT corona capitis nostri: væ nunc nobis, quia peccauimus.

DECIDIT nostri coronâ capitis: decidit omne decus. Hei nobis, qui peccauimus, & peccando hanc nobis accersimus calamitatem.

17. Propter hæc languidū est cor nostrum: propter hæc obtenebrati sunt oculi nostri.

Hinc omnis origo mali: hinc animi mæror: hinc oculorum præluctu caligo.

18. Propter montem Sionis, qui desolatus est, ita vt vulpes in eo ambulent.

Tuam ideo nunc cogor, ô mons Sion, deplorare sortem, quòd nunc vastatus, nunc Sulpium, & agrestium ferarum calcaris pedibus.

3^o ALTERA pars est confessio peccati: ex qua apparet nihil minus suprà Ieremię propositum fuisse, quàm ut populum excusaret, quasi maiorum innocens delicta lueret.

Corona] Pro ornatu & decore accipitur: ut Proverb. 16. Canities quæ in via iustitiæ incedit, corona dicitur: in Regū clenodijs maximè eminet corona. Intelligit autem Propheta, non regiam tantum dignitatem, sed omnia ornamenta cōcidisse, de quibus in specie questus est cap. 4.

Væ, quia peccauimus] Optimū amuletū contra impatientiam, sensus peccati, & agnitio iræ Dei iustæ. Hilarius in Psal. 126. Seminandū nobis est cum cōfessione peccatorū, cum luctu corporalis infirmitatis, cū lamētatione & dolore cōscientiæ nostrę: tunc quę in lacrymis seuerimus, metemus in gaudio, cōsolationēq; accipiemus per Christū.

Propter montem Sion] Licet synecdochicè etiā alter mons Moria, in quo erat templum, intelligatur, & tota ipsa Ierusalem: tamen non frustra Prophetæ Sionis montis potiùs quàm templi mentionem faciunt: quia Sion cū esset mons, in quo erat arx Davidis, & ex Davidis posteris Messias nasciturus, qui regnaret in Sion: fit ut sæpe mons ille prædicetur, qui fuit typus Ecclesiæ, quæ neq; ad montem aliquem, neq; ad locū certū alligata est, ut Ioā. 4. docet Christus: Montē quippe Sion æquè deseruit Deus, atq; Silo, sicut Ieremię 7. minatus erat. Et nunc Ieremias queritur illum montem vulpibus & feris patentē & peruium fuisse:

Hoc

Hoc de vulpibus nonnulli putant esse hyperbolen, sed potest etiam esse allegoria. Tyranni enim (astutiores praesertim) qualis fuit Herodes, vulpes in scripturis vocantur, Canticorum 2. & Lucae 13.

TERTIA PARS CAPITIS V.

Versio.

Paraphrasis.

19. Tu Iehoua in seculum manes: solium tuum in generationem & generationem.

AST tu aterne Iehoua, qui è sublimi & perenni solio omnia gubernas, & es placabilis ira:

20. Quare in perpetuum obliuisceris nostri, derelinques nos in longitudinem dierum?

Cur tu populum tuum, tua misericordia fretum, quasi omnem eius in perpetuum memoriam abijceres, in omne auum deseras?

21. Reuerti fac nos Iehoua tibi, ut reuertamur: renoua dies nostros, ut priscis diebus.

Restitue nos potius, & serua tibi Ecclesiam: nosque prioribus redde sedibus, fac, nostra in statum ut redeant tempora priscum.

22. Nam an omnino sperneres nos? effruesceres contra nos supra modum?

Tunc summe parens, nos plane reijcias & asperneris? tunc hominis instar impotentis, nullum in ira, nullum in paenis seruares modum?

OBSERVATIONES.

TERTIA & vltima pars, clausula Lamentationum, est precatio valde pathetica, argumentis validis, ductis à Dei natura & proprio, & à veteri experientia, Dominum ad liberandum populum sollicitans.

Perpetuo sedebis] Ista de Deo metaphoricè dicuntur, & sunt translata à sedib. & solijs Regum terrenorum, in quibus maximè solent suam maiestatem ostentare, ut Act. 12. legimus de Hero-

V. 19.

Matth. 5. *Sessio Dei quid.* In tribunali, cùm ei Tyri & Sidonij reconcilia-
rentur. Etsi autem cœlum thronus eius & sedes
in scripturis vocatur: nullam tamen sessionem in
Deo, qui est essentia spiritualis, imaginari nobis
debemus: sed iustam, sanctam & perpetuam gu-
bernationem & dominationem, quæ per sessio-
nem significatur.

Psal. 2. In istis ergo imperiorum & regnorum mundi
ruinis ad Deum oculos attollere debemus, cuius
solum est firmum & æternum, qui potentes de
sedibus deturbat, & è cœlis inanes hostium co-
natus ridet.

V. 20. *Ut quid in perpetuum obliuisceris*] Hæc iuxta
sententiam carnis dicuntur, quæ sibi multa per impa-
tientiam, indigna diuina maiestate fingit, & vt
est sibi malè conscia, sic facilè vacillat: sed pij licet
aliquam luctam quoque carnis in magnis aru-
mpis sentiunt, eluctantur tamen, & fidei poten-
1. Ioan. 5. tia roborati mundum ipsum superant.

V. 21. *Conuerte*] Non de interiori conuersione hîc
propriè agitur, vt monuimus in argumento, sed
de exteriori, qua Deus tranquillitatem, pacem,
gaudium, libertatem reddit, & tenebras squalo-
remque nostrum in prosperitatem conuertit, vt
fieri petit Propheta *Psal. 80. & 90.*

V. 22. *An nos sperneres?*] Hebr. *Chim.* alij legunt: *Nisi
nos reiecisti: alij, certe si reiecisti, tu es iratus supra
modum.* Sed omnia eodem ferè redeunt. Certum
est Ieremiam nolle Deo intemperantem furo-
rem & iracundiam tribuere: Nam vt *Ose. 11.*
pronunciat Dominus: Non faciam secundum
iram

iram furoris mei: quoniam Deus sum, & non homo, &c. Certus igitur fuit Propheta Deum populum quem elegit, nunquam planè reiecturum, vt & D. Paulus Roman. 11. docet: sed illa pathetica exclamatione concludit orationem suam: Tunc Iehoua ita inexorabilis, ita implacabilis præter naturam esles? Non certè fiet vnquam, vt nos deseras: quia tibi perpetuò similis es: & tu promisti liberationem, tu qui mentiri & fallere non potes: ita vt tibi Deo potentissimo & optimo, nec facultas nos iuuandi desit, nec voluntas. 2. Tim. 2.

Illi soli verè beato, Regi Regum, & Domino dominorum, honor & robur in æternum.

ORATIO PRO ECCLESIA HVIVS
temporis, ex his Ieremiæ Lamentationibus
& similibus scripturæ locis de-
sumpta.

DOMINE Iehoua, Deus optime maxime, qui tuam admirabilem potentiam, bonitatem, gloriam, tum in huius vniuersi creatione, & administratione æquissima, tum maximè in Ecclesiæ tuæ conseruatione, & liberatione per Iesum Christum filium tuum dilectissimum, Dominum & Immanuelem nostrum, patefecisti: nos serui tui & populus tuus, nos inquam, in quos seculorū fines occurrerunt, corā sublimi tua Maiestate nos sistimus, sed illo freti solo, quem tu ἰλασῆριον & placamentum per fidem nobis proposuisti, vt præeunte nobis in precibus, & suspirijs nostris Spiritu sancto, per eum aditum ad te haberemus: Hunc tu natū tuum, tibi coæternum, tibi charissimum, splendorem gloriæ, & characterem personæ tuæ, sacerdotem, & mediatorem nostrū iuuare; & propter eius sanguinem, propter

1. Cor. 10.
Rom. 3.
Ephes. 2.
Hebr. 1.

meritum, & intercessionem, nostras benignus audi preces, quas grauibus temporibus, grauissimo peccatorū nostrorum sensu saucij, cōtriti, mœrentes fundimus: Indigni certè, qui lucis vsura fruamur: multò magis qui nos in tui conspectum, lucem mortalib. inaccessam inhabitantis, demus. Nam vnde sibi puluis & vmbra tantam fiduciam sumeret, vt maximè nos non vrgeret, nos non arceret à sanctissimo conspectu tuo tot peccatorum, tot scelerum, tam fœdè ingrati-
Matth. II. tudinis conscientia? Sed vincit hanc verecundiam,
Ioan. 16. hunc pauorē, paternæ tuæ benignitatis gustus, & tam clemens, tam dulcis promissio filij tui, omnes laborantes ad se inuitantis, & omnia, quæ à te in nomine eius petierimus, liberaliter promittentis.

Ergo tu pater optime, pater sanctissime, esto propitius nobis propter filium illum tuum: condona peccata, quæ suo expiauit sanguine. Sunt illa quidem à nobis & multa, & grauissima patrata: Nam quo magis vltimis temporibus gratiam tuam effudisti, quò liberaliùs & largiùs & magnificentius dona tua communicasti: eò turpior, eò detestabili-
Philip. 2. or est iniquitas nostra, contumacia nostra, securitas & ingrati-
 tudo nostra: qui Euangelium quidē tuum cum aliquo gaudio & alacritate initiò excepisse visi sumus: sed statim succrescentibus spinis curarum mundanarum, auaritię, vanitatis, luxus, vel orto aliquo persecutionis æstu deferbui-
 mus, refriximus, & pedem retulimus: quærentes potius priuata, & terrena emolumenta, quàm quæ sunt IESU CHRISTI. Et quod grauius est, postquam rebus, & temporibus perturbatissimis, derepente potente tua manu, dissipatis hostium phalangibus, & repressis Antichristi conatibus, pacem & quietem nobis peperisti, indomitorū equorum instar excussis omnibus habenis, ad omnē luxum nos proiecimus, securitati & omnibus vitijs nos tradidimus, vt nec tua imperia, & disciplinam pati, nec nos ipsos ferre velle videamur. Quid quòd nec Reges nostri, nec principes nostri, nec doctores ductoresq; nostri à culpa sunt immunes? Quid quòd potentes peccant potenter: Sapientes insipientes facti sunt? & duabus his generis humani pestib. auaritia, & ambitione, altera in magistratibus, vtraque in Ecclesiæ

Ecclesiæ Doctoribus multis in locis dominante, concidit omne decus, omnis ordo, omnis disciplina: & religio sacra, sacra tua & intemerata veritas in contemptum, in odium, in dubium vocatur. Nec tamen consilio, nec remedio, nec monitis locus relinquitur: Non preces, non suspiria, non vota piorum audiuntur: Non exempla horrendæ tuæ iræ in vicinos populos, nos vndiq; circumstantia, attenduntur: ita irruere cladibus, & in vetus chaos & exitium nos præcipitare ipsos videmur amentes. Ergone Ecclesia sua peribit dextera? Ergone semper singuli carnem brachij sui comedent? Manasses Ephraimum, Ephraim Manasse, frater fratrem opprimet? Ergone semper altum dormient, qui his malis occurrere, & petulantiam importunorum hominum coercere debebant? & ita vix orta lux, nobis statim occidet, & tanto sudore, tanto cruore constituta quies, parta libertas, violabitur & amittetur? Et iam supercilium cuiusvis sycophantæ mensura iuris & religionis erit? Ah tu omnipotens & æterne Deus, tu Iehoua, qui labentibus omnibus imperijs solium tuum, & maiestatis tuæ cultores tueris, tu qui solus immedicabilium malorum medicus es dexterrimus, felicissimus: adfer tu his malis efficax remedium: respice has deformitates, fulci nutantem Ecclesiam, nutantem Rempub. Experge facias nos, ne in vitijs torpeamus, sed potius exemplis vicinorum, exemplis etiam populi tui Israel, in quæ tam grauius sæpe animaduertisti, & horrendis iræ tuæ documentis, quam in sacra illam urbem Ierusalem te exercuisse testantur Lamentationes Ieremiæ, erudiamur. Ne patiaris indurari corda nostra, quin redde potius spiritum heroicum, spiritum iudicij & prudentiæ, principibus & magistratibus nostris. Redde Doctoribus rectum zelum, sincerum veritatis studium, agnitionem sui, amorem proximi. Redde Ecclesiæ tuæ veram & incorruptam fidem, sanctam disciplinam, æqua iudicia, pietatem, castitatem, temperantiam: ne nos securos, ne toties monitos, opprimat scintillans iam passim ira tua, nec patriam illa vastet, Ecclesias deformet, liberos & paruulos nostros nobiscum pessundet. Fac potius vt nos, quos tot annis iam tolerasti, seriò omnes respiscamus, nos tibi cum vera humilitate & obsequio subijciamus, ad cru-

Esa. 9.

cem si quam impones ferendam, & vltimum filij tui Domini IESV CHRISTI, qui p̄foribus est, aduentum expectandum, toti nos comparemus. Interim defende pusillum gregem, libera fratres nostros in Gallia & Belgio diurnis cladibus iam penè confectos: Renoua faciem Ecclesie tuæ, sicut priscis temporibus: donec detur nobis amœno & beato faciei tuæ intuitu in Regno gloriæ tuæ frui, AMEN.

R I N I S.

AD FILIVM DEI, PRO ECCLESIA,
foris & domi acerba multa
patientem,

PRECATIO DAVIDIS PAREI, VERBI
diuini ministri.

GNATE Dei, si nemo tuas ferit irritus aures,
Progrege sic liceat subdere vota tuo:
Aspice, quæ pestes grassentur ouilia circum,
Et tua quam sæuis præda sit agna lupis.
Hic lacera incessunt violenti septa tyranni,
Et gregis immani cade madescit humus:
Affricat hic scabiem, morbosq; regurgitat orcus,
Queis tulerant medicam secula prisca manum,
Ut teneros passim foetis cum matribus agnos
Depascat macies turpis, & atra lues,
Passim etiam totos palare per ania cætus
Cernere sit, certo nec pede flectere iter,
Ceu rectore carens vasto super æquore pinus
Errat, & instabiles itq; reditq; vias,
Eripiturq; oculis, dum fessa erroribus, undis
Mergitur, & miseræ gurgite condit opes.

Hos

Hos gemitus, imò hac ducunt suspiria corde,
 Tu querulas audi, maxime Pastor, oves:
 Ad patris euectus cœli super ardua dextram,
 Tu regis imperio subdita cuncta tuo;
 Te mare, te tellus, & aprici regia cœli
 In chaos antiquum concutiente ruent:
 Ergo tuum audebunt impune lacescere Numen?
 Et fodere insano viscera dente canes?
 Quin tibi nequicquã latrant: modò temnere morsus
 Te doceas: sua sic sputa cruenta vorent.
 Mille vomat pestes, moueâtve Acheronta parentem
 Tisiphone, & inæus vel strepat usq; faber:
 Te Pastore, ouium stat nullo mobilis æuo
 Certa salus, dextra robore fulta tua:
 Tu modò ἀλεξίκακος, ne pars sincera trahatur,
 Provida nascenti pharmaca subde malo,
 Et dignare tua perfundere luce tenellas,
 Pro salubri ne quã lacte venena bibant:
 Quas etiam cautas male deuius abstulit error,
 Fac recta redeant in tua septa via,
 Vt societ tandem lacerum CONCORDIA ouile,
 Sola sed auspicio conciliata tuo.
 Sic male quassatam serua & regenauit a cymbam,
 Sanguine quæstas quæ tibi vectat opes:
 Sic ipsa eluctata malis, portuq; recepta
 Expleat ætherias diuite merce domos.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or a date.



154600

X 2255552

R V D (7)

754609
Nr 5 entnommen

für Lieferung am
17. VII 31


Juli 89



NIHILUM
Domi. Tom.
Lamentum

15





4

LAMENTATIONES
I E R E M I A E
PROPHE TÆ, LAMEN-
TABILI HOC ET LVGVBRI
tempore perneceſſariæ:

*COLLATIS OPTIMIS VERSIONI-
bus & adiuncta Paraphraſi, Annotationi-
bus etiam, & locorum præcipuorum
methodica explicatione
illustrata*

PER DANIELEM TOSSANVM.



FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,

174. M. D. LXXXI.

4

